
INRI

The facsimile "Privilege" leaf was replaced by a genuine leaf from another copy. May 1936

HORAE, in laudem beatiſs. ſemper virginis MARIAE ſecundum conſuetudinem curiæ Romanæ. vbi orthográphia, puncta, & accentus ſuis locis habentur.



PARISIIS
Apud Simonem Colinæum.
M.D.XXIIII.

Almanach pro annis vigintinouem.

Annus domini	Quadragesima.	Pascha	Nũerꝰ aureꝰ.	Lr̃a dñi.	Bissextus.
1523	22 Feb.	5 Apri.	4	D	
1524	14 Feb.	27 Mar.	5	C	B
1525	5 Mar.	16 Apri.	6	A	
1526	18 Feb.	1 Apri.	7	G	
1527	10 Mar.	21 Apri.	8	F	
1528	1 Mar.	12 Apri.	9	E	D
1529	14 Feb.	28 Mar.	10	C	
1530	5 Mar.	16 Apri.	11	B	
1531	26 Feb.	9 Apri.	12	A	
1532	18 Feb.	31 Mar.	13	G	F
1533	3 Mar.	13 Apri.	14	E	
1534	22 Feb.	6 Apri.	15	D	
1535	14 Feb.	28 Mar.	16	C	
1536	5 Mar.	16 Apri.	17	B	A
1537	18 Feb.	1 Apri.	18	G	
1538	10 Mar.	21 Apri.	19	F	
1539	23 Feb.	6 Apri.	1	E	
1540	14 Feb.	28 Mar.	2	D	C
1541	6 Mar.	17 Apri.	3	B	
1542	26 Feb.	9 Apri.	4	A	
1543	11 Feb.	25 Mar.	5	G	
1544	2 Mar.	13 Apri.	6	F	E
1545	22 Feb.	5 Apri.	7	D	
1546	14 Mar.	25 Apri.	8	C	
1547	27 Feb.	10 Apri.	9	B	
1548	19 Feb.	1 Apri.	10	A	G
1549	10 Mar.	21 Apri.	11	F	
1550	23 Feb.	6 Apri.	12	E	
1551	15 Feb.	29 Mar.	13	D	

GEOFROY TORY.

SIC VT NONPLS

Privilege du Roy noſtre ſire.

Francoys par la grace de dieu Roy de Frãce/aux Bailly/⁊ Preuoſt de Paris/Seneſchal de Lyon/et a toꝰ noz autres iuſticiers/ officiers/ ou leurs Lieuxtenãs/⁊ a chaſcun deulx endroit ſoy ⁊ ſicõme a luy appartiendra ſalut. Noſtre cher ⁊ bien ame maiſtre Geufroy Tory libraire demourant a Paris nous ha preſentement faict dire ⁊ remõſtrer/que puis nagueres il ha faict/⁊ faict faire certaines hiſtoires et vignettes a Lantique/et pareillement vnes autres a la Moderne pour icelles faire imprimer/ et ſeruir a pluſieurs vſages dheures/ dont pour icelles il ha vacque certain long tẽps/⁊ faict pluſieurs grans fraitz/ miſes/et deſpens. A ceſte cauſe et pour luy ſubuenir a recouurer partie des deſpẽs quil ha faictz et ſoubſtenuz a vacquer et faire faire les hiſtoires et vignettes deſſuſdictes/et a ce quil ait mieulx dequoy ſoy entretenir noꝰ ha treſhumblement faict ſupplier et requerir que luy ſeul et non autre ait a faire imprimer les vignettes ⁊ hiſtoires deſſuſdictes pour le tẽps et terme de ſix ans commẽceans au iour de la date de limpreſſion deſdictes heures/ et deffendre a tous libraires den faire/ou faire faire aucune impreſſion tant ſoyẽt en champ blanc/gris/ou rouge/ne laiſſant aucunes deſdictes vignettes noires. ne auſſi les reduyre a petit ou grant pied/ nous humblement requerant icelluy. Pourquoy nous ces choſes conſiderees inclinans liberallement a la ſupplication ⁊ requeſte dudit ſuppliãt/ et en faueur meſmemẽt du ſauoir/literature/bon et louable rapport qui faict nous ha eſte de ſa perſonne/ et de ſes ſens/ſuffiſance/loyaulte/preudhommie/et bonne diligence. A icelluy pour ces cauſes/⁊ autres conſiderations a ce

nous mouuãs/auons audit maistre Geufroy Tory suppliant permis & octroye/permectons et octroyons de grace speciale par ces presentes/ q̃ luy/ et non autre pour le tẽps et terme desdictz six ans/cõme dict est/a cõmencer du iour de la date de limpression desdictes heures puisse imprimer et faire imprimer lesdictes vignettes et histoires. Et pour les causes dessusdictes de nostredicte grace/plaine puissã ce/et auctorite Royale par cesdictes presentes deffendõs a tous libraires & imprimeurs quelzconq̃s de nostre Royaume/pays/terres/et seigneuries autres que ledit suppliãt/ ou gens quil cõmettra pour luy puissent faire ou faire faire & imprimer lesdictes vignettes et histoires dessusdictes. Si voulons/vous mandons/& commettons par cesdictes presentes/et a chascun de vous sur ce premier requis/et si cõme a luy appartiendra/que en faisant ledict suppliant iouyr & vser de noz presens grace/ declaration/permission/ vouloir/ et ordonnãce vous faictes ou faictes faire de par nous expresses inhibitions et deffenses a tous libraires/ imprimeurs/et autres personnes quelzconques de nostredit Royaume:que pendant & durant le temps & terme desdictz six ans a commencer au iour et terme dessusdict ilz nayent a imprimer/ou faire imprimer lesdictes heures vignettes et histoires dessusdictes sur peine de vingt et cinq marcz dargent a nous a appliquer/et cõfiscation des heures vignettes et histoires par eulx et chascun deulx imprimees ou faictes imprimer. Car ainsi nous plaist il estre faict. Dõne a Auignon le xxiii. iour de Septembre. Lan de grace Mil cinq cens vingt quatre. Et de nostre Regne le dixiesme. Ainsi signe par le Roy. Heruoet. Et seelle de cire iaune en simple queue. Et en linterinemẽt signe Lormier/seelle de cire verte en double queue.

¶De anno,& partibus eius.

Annus Menſes habet duodecim,Hebdomadas duas & quinquaginta & diem vnum. Dies vero,trecentos ſexagintaquinqꝫ & ſex horas.

Ex quot diebus conſtet vnuſquiſqꝫ menſis.

Triginta Aprilis,Iuni,Septemq́ꝫ,Nouemq́ꝫ,
Vno plus alij.viginti Februus octo.
At ſi biſſextus fuerit,ſuperadditur vnus.
Et tunc biſſexto Martij conſcribe Calendas.

De numero Nonarũ,ac Iduũ ſingulorũ mẽſiũ.

Sex Nonas Maius,October,Iulius,& Mars.
Quatuor at reliqui: dabit Idus quilibet octo.
Et notandum: primo quoqꝫ die menſis dicendũ Calẽdis. Quinto,Nonis. Decimotertio,Idibus vbi nonæ quatuor. vbi vero ſex, Septimo,Nonis. Decimoquinto,Idibus in caſu ſexto. Reliquis autem diebus,pridie, tertio,quarto Calendas,aut Nonas,aut Idus in caſu quarto retrorſum numerãdo vſqꝫ ad eum diem,quo aut Calendis aut Nonis,aut Idibus dicimus,quemadmodum in ſingulis mẽſibus hoc libello cura noſtra excuſis licet videre.

De Aureo numero.

Numerus aureus anni 1522 eſt 3, ſed anni 1523, erit 4 inde 5,inde 6,vſqꝫ ad 1528. tum redeundũ ad vnum.atque ita anno 1539,aureus numerus erit 1. ſequenti autem 2,hinc 3,hinc 4,vſque ad 19, deinde redeundum item ad vnum,& percircumitum ſemper ab vno ad decimumnonum.

Quo die i ſingulis mẽſibus ſit coniũctio Lunę.

Notandũ quinto die ſupra literã alphabeti,quę poſita eſt cõtra numerũ aureũ vniuſcuiuſqꝫ an-

ni esse coitum lunæ singulis mẽsibus. verbi gratia. aureus numerus ãni 1522 est 3 qui numerus è regione 22 diei Nouẽbris est cõtra d literã. numera igitur ab ea litera inclusiue vsq; ad g literam eiusdẽ mẽsis. vel numerãdo 1, 2, 3, 4, 5, vel dicẽdo hæc syllabatim, hic no ua lu na, vbi vel 5, vel na dixeris, erit nouiluniũ. idq; tẽporibus nostris, nam annis voluẽtibus vel sexto, vel septimo, vel octauo, & deinceps die supra literã alphabeti quæ contra numerum aureum singulorũ annorũ posita fuerit, erit coniunctio lunę: tuncq; augendus est numerus syllabarũ supra quinq; syllabas, vna syllaba, sic, hic est no ua lu na, inde duabus sic, hic e rit no ua lu na, & sic deinceps addendo prioribus syllabam. atq; vbi na dixeris: eo die erit coniunctio lunæ.

An verus aureus numerus in singulis mẽsibus.

Item notandum sic facile cognosci posse, an in singulo quoq; mẽse verus sit aureus numerus. adde post vnumquẽq; numerum, octo, vsq; ad 19. & qui ex additione octo, euenerit numerus: verus erit aureus numerus. Quod si supra nonumdecimum addẽdo octo, euaseris numerũ: qui reliquus fuerit, dempto nonodecimo, verus erit numerus. Quod facillimum fuerit in singulis mẽsibus tractando cognoscere. exempli gratia. in Ianuarij principio cõtra a literam, numerus aureus est 3 adde igitur ei 8: erit contra c, literam 11. inde item 8 erit contra e literam 19, deinde item octo, constitues septem & viginti. demptis ex 27, 19, remanẽt octo, qui est aureus numerus contra f literam, & sic deinceps.

Ianuarius habet dies 31. Luna vero habet 30.

3	A	Calendis	Circũ. Dñi. Dies æger.	1
	b	4	Octa. sancti Stepha.	2
11	c	3	Octa. sancti Ioannis	3
	d	Pridie	Octa. sancto. Innocẽ.	4
19	e	Nonis	Thelesphori papæ.	5
8	f	8	Epiphania Domini	6
	g	7	Claues lxx.	7
16	A	6	Rigoberti episcopi	8
5	b	5	Martianæ virginis	9
	c	4	Pauli primi eremitæ	10
13	d	3	Iginij martyris	11
2	e	Pridie	Satyri martyris	12
	f	Idibus	octaua Epiphaniæ.	13
10	g	19 Calẽ. Februa.	Felicis presbyteri	14
	A	18	Mauri ab. Sol in aqua.	15
18	b	17	Marcelli pap. & mar.	16
7	c	16	Antonij abbatis	17
	d	15	Priscæ virginis	18
15	e	14	Marij cũ soc. marty.	19
4	f	13	Fabiani & Sebast. m̃.	20
	g	12	Agnetis virginis	21
12	A	11	Vincentij martyris	22
1	b	10	Emerentianæ virgi.	23
	c	9	Timothei disci. Pau.	24
9	d	8	cõuer. Pau. Dies ęger.	25
	e	7	Policarpi martyris	26
17	f	6	Iuliani episcopi	27
6	g	5	Agne. scdo Claues xl.	28
	A	4	Valerij episcopi	29
14	b	3	Batildis reginæ	30
3	c	Pridie	Cirici & Ioannis mar.	31

Februarius habet dies 28. Luna vero 29. Cum vero bissextus fuerit: habet dies 29. Luna autem 30.

	d	Calendis	Ignatij episcopi.	1
11	e	4	Purificatio b. Mariæ.	2
19	f	3	Blasij episcopi & mar.	3
8	g	Pridie	Gilber.cōf. Dies æger	4
	A	Nonis	Agathæ virg.& mar.	5
16	b	8	Dorotheæ virginis	6
5	c	7	Moyseti episcopi	7
	d	6	Salomonis marty.	8
13	e	5	Apolloniæ virg.& m̄.	9
2	f	4	Scolasticæ virginis	10
	g	3	Sotheris papæ	11
10	A	Pridie	Eulaliæ virg.& mart.	12
	b	Idibus	Fulcrani episcopi.	13
18	c	16 Calen.Mar.	Valentini martyris	14
7	d	15	Faustini episcopi	15
	e	14	Iulianæ virginis	16
15	f	13	Sol in piscibus.	17
4	g	12	Simeōis m̄. epī hier.	18
	A	11	Sabini presbyteri	19
12	b	10	Galli pres. & cōfes.	20
1	c	9	lxxix. martyrum	21
	d	8	Cathedra san. Petri	22
9	e	7	Vigilia.	23
	f	6	Matthiæ ap. Lo.bis.	24
17	g	5	Alexandrini episco.	25
6	A	4	Dies æger.	26
	b	3	Leandri episcopi	27
14	c	Pridie	Romani abbatis	28

Martius habet dies 31. Luna vero 30.

3	d	Calendis	Albini epi.. Dies æger.	1
	e	6	Nicetij episcopi.	2
11	f	5	Maximi martyris.	3
	g	4	Adriani martyris	4
19	A	3	Focæ martyris	5
8	b	Pridie	Victoris martyris	6
	c	Nonis	Thomæ aqui. cõfes.	7
16	d	8	Apollonij martyris	8
5	e	7	Quadragita martyrũ	9
	f	6	Vgi archiepiscopi	10
13	g	5	Claues paschæ	11
2	A	4	Gregorij papæ	12
	b	3	Euphrasiæ virginis	13
10	c	Pridie	Zachariæ papæ.	14
	d	Idibus	Gabrielis archangeli	15
18	e	17 Calen. Apri.	Ioseph confessoris	16
7	f	16	Sancti Ioachim	17
	g	15	Ansel.e. Sol in ariete.	18
15	A	14		19
4	b	13	Guberti confessoris	20
	c	12	Benedicti abbatis	21
12	d	11	Pauli episc. Narbon̄.	22
1	e	10	Pygmeni ep̄i & mar.	23
	f	9	Theodori presbyte.	24
9	g	8	Annũciatio Mariæ.	25
	A	7	Castorij martyris	26
17	b	6	Ruberti episcopi.	27
6	c	5	Grõdani. Dies æger.	28
	d	4	Quintini martyris	29
14	e	3	Secundi martyris.	30
3	f	Pridie	Sabinæ virginis	31

Aprilis habet dies 30. Luna vero habet 29.

	g	Calendis	Theodoræ virg.& m̃.	1
11	A	4		2
	b	3	Pancratij martyris	3
19	c	Pridie	Ambroſij epiſcopi	4
8	d	Nonis	Vincentij confeſſoris	5
16	e	8	Cæleſtini papæ	6
5	f	7	Eufemiæ virginis	7
	g	6	Mariæ ægyptiacæ.	8
13	A	5	Prochori martyris.	9
2	b	4	Apollonij preſby.	10
	c	3	Dies æger.	11
10	d	Pridie	Zeni ep̃i Veroneñ.	12
	e	Idibus		13
18	f	18 Calen. Maij	Tiburtij martyris	14
7	g	17	Helenæ. Claues roga.	15
	A	16	Iſidori martyris	16
15	b	15	Anice. pa. Sol in taur.	17
4	c	14	Præfecti preſ.& mar.	18
	d	13	Creſcẽtij. Dies æger.	19
12	e	12	Sulpitij & Seruiliani	20
1	f	11	Simeonis epiſcopi	21
	g	10	Sotheris papæ	22
9	A	9	Georgij martyris	23
	b	8	Gregorij epiſcopi.	24
17	c	7	Marci euangeliſtæ	25
6	d	6		26
	e	5	Anaſtaſij papæ	27
14	f	4	Vitalis martyris.	28
3	g	3	Petr. m̃. Claues pẽte.	29
	A	Pridie	Eutropij ep̃i & mar.	30

Maius habet dies 31. Luna vero habet 30.

11	b	Calendis	Philippi & Iacobi ap.	1
	c	6	Sigiſmundi regis	2
19	d	5	Inuē.ſ.Cru.Dies æger	3
8	e	4	Floriani martyris	4
	f	3	Gothardi.	5
16	g	Pridie	Ioan.ante portā Lati.	6
5	A	Nonis	Cleti papæ & marty.	7
	b	8	Apparitio ſ. Micha.	8
13	c	7	Tranſ.ſan.Nicolai.	9
2	d	6	Gordiani & Epima.	10
	e	5	Mamerti & Maioli	11
10	f	4	Nerei & Achillei.	12
	g	3	Theodoræ virginis.	13
18	A	Pridie	Bonif.pa.Dies æger.	14
7	b	Idibus	Iſidori martyris	15
	c	17 Calen.Iunij	Honorati epiſcopi	16
15	d	16	Tropetæ matyris	17
4	e	15	Felicis epī.Sol ī gemi.	18
	f	14	Potentianæ virginis.	19
12	g	13	Bernardini confeſſo.	20
1	A	12	Valentis epiſcopi	21
	b	11	Helenæ reginæ	22
9	c	10	Deſyderij epī & mar.	23
	d	9	Donatiani & Roga.	24
17	e	8	Vrbani papæ & mar.	25
6	f	7	Eleutherij martyris.	26
	g	6	Ioannis pa.& marty.	27
14	A	5	Germani epī Pariſiē.	28
3	b	4	Maximi epiſcopi.	29
	c	3	Felicis papæ & mart.	30
11	d	Pridie	Petronillæ virginis	31

TORY

Iunius habet dies 30. Luna vero habet 29.

	e	Calendis	Iuſtini preſbyteri.	1
19	f	4	Marcel.& Petr.mart.	2
8	g	3	Pergentini martyris	3
16	A	Pridie	Quirini epi & marty.	4
5	b	Nonis	Bonifacij epi & mart.	5
	c	8	Claudij epi & confeſ.	6
13	d	7	Pauli epi cōſtantino.	7
2	e	6	Medardi & Gild.cōf.	8
	f	5	Primi & Felicia.mar.	9
10	g	4	Landerici epiſcopi.	10
	A	3	Barnab.a. Dies æger.	11
18	b	Pridie	Baſilidis Cyrini Nab.	12
7	c	Idibus	Antonij cōfeſ.pata.	13
	d	18 Calend. Iulij	Baſilij epiſcopi	14
15	e	17	Viti &Mo. Dies æger.	15
4	f	16	Cirici & Iuſitæ mart.	16
	g	15	Auiti ab. Sol in cācro	17
12	A	14	Marci & Marcel. m̄.	18
1	b	13	Geruaſij & Protha.	19
	c	12	Syluerij papæ & m̄.	20
9	d	11	Ianuariæ virginis.	21
	e	10	Paulini epi & cōfeſ.	22
17	f	9	Vigilia.	23
6	g	8	Natiui.Ioan.Bapti.	24
	A	7	Amandi epiſcopi.	25
14	b	6	Ioannis & pau.mar.	26
3	c	5	Creſcentij epiſcopi	27
	d	4	Leonis pa. Vigilia.	28
11	e	3	Petri & Pauli apoſt.	29
	f	Pridie	Cōmemo.ſan.Pauli.	30

TORY

‡

Iulius habet dies 31. Luna vero habet 30.

19	g	Calendis	octa.ſancti Ioan.Bap.	1
8	A	6	Viſita.beatæ Mariæ	2
	b	5	Tranſ.ſancti Thomæ	3
16	c	4	Tranſ.ſancti Martini	4
5	d	3	Domitij martyris	5
	e	Pridie	Dies caniculares	6
13	f	Nonis		7
2	g	8	Procopij martyris	8
	A	7	Zenonis martyris	9
10	b	6	Ruffinæ virginis	10
	c	5	Pij papæ & martyris	11
18	d	4	Naboris & Felicis	12
7	e	3	Priuati martyris.	13
	f	Pridie	Herac.epi. Dies æger.	14
15	g	Idibus	Quiriti & Iuſitæ.	15
4	A	17 Calen.Augu.	Euſtachij	16
	b	16	Alexij confeſſoris	17
12	c	15	Arnul.epi. Sol in leo.	18
1	d	14	Arſenij eremitæ	19
	e	13	Margaretæ virginis	20
9	f	12	Victor.m̄. Dies æger.	21
	g	11	Mariæ Magdalenæ	22
17	A	10	Apollinaris epiſcopi	23
6	b	9	Chriſtinę virg. Vigil.	24
	c	8	Iaco.apo. Chriſtof.m̄.	25
14	d	7	Annæ matris Mariæ	26
3	ę	6	Septem dormientiū	27
	f	5	Nazarij & Celſi	28
11	g	4	Marthæ virginis	29
19	A	3	Abdon & Sennen	30
	b	Pridie	Fauſtini confeſſoris	31

Augustus habet dies 31. Luna vero habet 30.

8	c	Calendis	ad vinc. Pe. Dies æger.	1
16	d	4	Stephani papæ	2
5	e	3	Inuentio ſ. Stephani	3
	f	Pridie	Iuſtini preſbyteri	4
13	g	Nonis	Mariæ de niuis.	5
2	A	8	Trāſfiguratio Domi.	6
	b	7	Donati epiſcopi	7
10	c	6	Ciriaci & ſociorū eius	8
	d	5	Romani mar. Vigilia.	9
18	e	4	Laurentij martyris	10
7	f	3	Tyburtij & Suſannæ.	11
	g	Pridie	Claræ virginis	12
15	A	Idibus	Hippolyti & ſoci.ei9	13
4	b	19 Calē. Septēb.	Euſebij cōf. Vigilia.	14
	c	18	Aſſumptio b. Mariæ.	15
12	d	17	Rochi confeſſoris	16
1	e	16	octa. ſancti Laurētij	17
	f	15	Agapi. m̄. Sol in virg.	18
9	g	14	Ludouici epiſcopi	19
	A	13	Bernardi abbatis	20
17	b	12	Anaſtaſij martyris	21
6	c	11	octa. beatæ Mariæ	22
	d	10	Vigilia.	23
14	e	9	Bartholomæi apoſt.	24
3	f	8	Ludouici regis Frāc.	25
	g	7	Zepherini pa. & m̄.	26
11	A	6	Geor. & Aure. mart.	27
19	b	5	Auguſtini epiſcopi	28
	c	4	Decol. Ioan. Bapti.	29
8	d	3	Dies æger.	30
	e	Pridie	Felicis confeſſoris.	31

September habet dies 30. Luna vero habet 29.

16	f	Calendis	Egidij abbatis.	1
5	g	4	Antonini martyris	2
	A	3	Lupi epi. Dies æger.	3
13	b	Pridie	Moysi confessoris	4
2	c	Nonis	Victorini martyris	5
	d	8	Zachariæ prophetæ	6
10	e	7	Clodoaldi confessoris	7
	f	6	Natiuit. bea. Mariæ.	8
18	g	5	Gorgonij martyris	9
7	A	4	Sauli episcopi	10
	b	3	Proti & Hyacinthi	11
15	c	Pridie	Maximiani	12
4	d	Idibus	Maurilij episcopi	13
	e	18 Calē. Octob.	Exaltatio san. Crucis	14
12	f	17	Nicomedis martyris	15
1	g	16	Eufemiæ virg. & m̄.	16
	A	15	Lamberti episcopi	17
9	b	14	Sol in libra.	18
	c	13	Ianuarij epi & mar.	19
17	d	12	Vigilia Dies æger.	20
6	e	11	Matthæi apo. & euā.	21
	f	10	Mauricij cum socijs	22
14	g	9	Lini papæ	23
3	A	8	Ruperti episcopi	24
	b	7	Firmini episcopi	25
11	c	6	Cypriani & Iustin.	26
19	d	5	Cosmæ & Damiani	27
	e	4	Exuperij epi & cōfes.	28
8	f	3	Michaelis archangeli	29
	g	Pridie	Hieronymi doctoris	30

October habet dies 31. Luna vero habet 30.

16	A	Calendis	Remigij epĩ & cõfeſ.	1
5	b	6	Tranſ.ſanctæ Claræ	2
13	c	5	Cãdidi m̃. Dies æger.	3
2	d	4	Franciſci confeſſoris	4
	e	3	Placidi cũ ſoc.marty.	5
10	f	Pridie	Fidis virg.& marty.	6
	g	Nonis	Marci papæ & cõfeſ.	7
18	A	8	Pelagiæ peccatricis	8
7	b	7	Dionyſij & ſoc.eius	9
	c	6	Cerbonij epiſcopi	10
15	d	5	Nichaſij epiſcopi	11
4	e	4	Euſtachij preſbyteri	12
	f	3	Geraldi confeſſoris	13
12	g	Pridie	Calixti papæ & mar.	14
1	A	Idibus	Antiochi epiſcoppi.	15
	b	17 Calen.Nouẽ.	Luciani & ſociorum	16
9	c	16	Lucinæ romanæ	17
	d	15	Lucæ euangeliſtæ	18
17	e	14	Sol in ſcorpione.	19
6	f	13	Capraſij martyris	20
	g	12	xj.mil.vir. Dies æger.	21
14	A	11	Meloni epiſcopi	22
3	b	10	Seuerini epiſcopi	23
	c	9	Maglorij epiſcopi	24
11	d	8	Criſpini & Criſpinia.	25
19	e	7	Euariſti papę & mar.	26
	f	6	Vigilia.	27
8	g	5	Simonis & Iudæ ap.	28
	A	4	Zenobij preſbyteri.	29
16	b	3	Bernardi epiſcopi.	30
5	c	Pridie	Quĩtini mar. Vigilia.	31

Nouember habet dies 30. Luna vero habet 29.

	d	Calendis	Feſtũ omniũ Sãctorũ.	1
13	e	4	Cõmemora.defuncto.	2
2	f	3	Reſtituti.	3
	g	Pridie	Amantij.	4
10	A	Nonis	Dies æger.	5
	b	8	Leonardi confeſſoris.	6
18	c	7	Herculani epiſcopi.	7
7	d	6	Quatuor coronatorũ.	8
	e	5	Theodori martyris	9
15	f	4	Martini & Verani.	10
4	g	3	Martini epiſcopi.	11
	A	Pridie	Martini papæ & m̃.	12
12	b	Idibus	Britij epiſcopi	13
1	c	18 Calen.Decẽb.	Ioan.ep̃i & cõfeſſoris.	14
	d	17	Eugenij martyris.	15
9	e	16	Eucharij epiſcopi.	16
	f	15	Sol in ſagittario	17
17	g	14	Romani epiſcopi	18
6	A	13	Helizabet regi. virg.	19
	b	12	Edmund.reg.& mar.	20
14	c	11	Columbani.	21
3	d	10	Cæciliæ virginis.	22
	e	9	Clementis papæ	23
11	f	8	Griſogoni martyris	24
19	g	7	Caterinæ virginis	25
	A	6	Lini papæ	26
8	b	5	Agricolæ martyris	27
	c	4	Proſpi e. Dies æger.	28
16	d	3	Saturnini m̃. Vigilia.	29
5	e	Pridie	Andreæ apoſtoli	30

SOLI DEO

LAVS

HONOR

December habet dies 31. Luna vero habet 30.

	f	Calendis	Eligij ep̄i & confeſſo.	1
13	g	4	Bibianæ virginis	2
2	A	3	Caſſiani martyris.	3
10	b	Pridie	Barbaræ virginis	4
	c	Nonis	Sabbæ abbatis	5
18	d	8	Nicolai ep̄i & confeſ.	6
7	e	7	Dies æger.	7
	f	6	Cōceptio bea. Mariæ	8
15	g	5	Prouoli epiſcopi	9
4	A	4	Eulaliæ virginis	10
	b	3	Damaſi papæ & cōf.	11
12	c	Pridie	Valerij abbatis.	12
1	d	Idibus	Luciæ virg.& marty.	13
	e	19 Calē. Ianua.	Nigaſij ep̄i & marty.	14
9	f	18	Valeriani epiſcopi	15
	g	17	Melerij epiſcopi	16
17	A	16	Laza. e. Sol in capri.	17
6	b	15	Antonillæ virginis.	18
	c	14	Clemētis preſ.& cōf.	19
14	d	13	Domitiani ab. Vigil.	20
3	e	12	Tho. ap. Dies æger.	21
	f	11	Theodoſiæ virginis	22
11	g	10	Seruili confeſſoris.	23
19	A	9	Vigilia.	24
	b	8	Natiuitas Domini.	25
8	c	7	Stephani protomar.	26
	d	6	Ioan.apoſt.& euang.	27
16	e	5	Sāctorū Innocentiū.	28
5	f	4	Thomæ archiepiſco.	29
	g	3	Sabini epiſco.& mar.	30
13	A	Pridie	Silueſtri papæ.	31

SOLI DEO

LAVS

HONOR

¶Initium sancti euangelij secundum Ioannem. Gloria tibi domine.

IN principio erat verbum, & verbũ erat apud deum, & deus erat verbum. Hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderũt. Fuit homo missus à deo: cui nomen erat Ioannes. Hic vênit in testimonium: vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux: sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera: quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est: & mundus eum non cognouit. In propria vênit: & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum: dedit eis potestatem filios dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex deo nati sunt. Et verbũ caro factum est: & habitauit in nobis (Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti, à patre) plenũ gratiæ & veritatis. Deo gratias. añ. Te inuocamus, te adoramus, te laudamus, te glorificamus ô beata trinitas. ℣. Sit nomen domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc & vsq; in seculum. Oratio.

PRotector in te sperãtium deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctũ: multiplica super nos misericordiã tuam, vt te rectore, tẽ duce sic trãseamus per bona tẽporalia, vt non amittamus æterna. Per Christũ d.n. Amẽ.

NON PLVS

Sequentia, ſancti euangelij ſecundum Lucam. Gloria tibi domine.

IN illo tempore, Miſſus eſt angelus Gabriel à deo in ciuitatem Galilææ cui nomen Nazaret, ad virginem deſpõſatam viro cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid: & nomẽ virginis Maria. Et ingreſſus angelus, ad eam dixit. Aue gratia plena, dominus tecũ, benedicta tu in mulieribus. Quę cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius: & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Et ait angelus ei. Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud deum. Ecce concipies in vtero & paries filium: & vocabis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus: & filius altiſſimi vocabitur. Et dabit illi dominus deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad angelum. Quomodo fiet iſtud: quoniam virum non cognoſco? Et reſpondens angelus, dixit ei. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ideóque & quod naſcetur ex te, ſanctum: vocabitur filius dei. Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua. Et hic mẽſis, ſextus eſt illi quę vocatur ſterilis: quia non erit impoſſibile apud deum omne verbum. Dixit autem Maria. Ecce ancilla domini: fiat mihi ſecundum verbum tuum. Deo gratias.

Sequentia, ſancti euangelij ſecundum Matthæum. Gloria tibi domine.

CVm natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudę in dieb9 Herodis regis, ecce Magi ab oriẽte venerũt Hieroſolymã dicẽtes. Vbi

eſt qui natus eſt rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in oriẽte, & vénimus adorare eum. Audiens autẽ Herodes rex, turbatus eſt, & om nis Hieroſolyma cum illo. Et cõgregans omnes principes ſacerdotum & ſcribas populi, ſciſcita batur ab eis vbi Chriſtus naſceretur. At illi di- xerũt ei. In Bethleem Iudæ. Sic enim ſcriptum eſt per prophetam, Et tu Bethleem terra Iuda nequaq̃ minima es in principibus Iuda. ex te e- nim exiet dux qui regat populum meũ Iſrael. Tunc Herodes clàm vocatis Magis, diligẽter di dicit ab eis tẽpus ſtellæ quę apparuit eis. & mit tens illos in Bethleem, dixit. Ite, & interrogate diligenter de puero: & cum inueneritis, renun- ciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Qui cum audiſſent regẽ, abierũt. Et ecce ſtella quam viderant in oriente, antecedebat eos, vſquedum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer. Videntes au tem ſtellã, gauiſi ſunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cũ Ma- ria matre eius. & procidentes adorauerũt eum: & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Et reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodẽ, per aliam viã reuerſi ſunt in regionem ſuam. Deo gratias.

Sequentia ſancti euangelij ſecundum Marcum. Gloria tibi domine.

IN illo tempore, Recũbentibus vndecim di- ſcipulis apparuit illis Ieſus: & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia his qui viderant eum reſurrexiſſe, non cre diderunt. Et dixit eis. Euntes in mundum vni- uerſum, prædicate euangelium omni creaturæ.

Qui crediderit & baptizatus fuerit: ſaluus erit. Qui vero non crediderit: cōdemnabitur. Signa autem eos qui crediderint: hæc ſequētur, In nomine meo dæmonia eijcient, Linguis loquētur nouis. Serpentes tollent. Et ſi mortiferum quid biberint: non eis nocebit. Super ægros manus imponent: & bene habebunt. Et dominus quidē Ieſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælū: & ſedit à dextris dei. Illi autem profecti, prædicauerūt vbiq; domino cooperante, & ſermonē cōfirmāte ſequētibus ſignis. Deo gratias.

Dominica in ramis palmarum.

¶ Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundum Matthæum. 26. Cap.

IN illo tempore, Dixit Ieſus diſcipulis ſuis. Scitis quia poſt biduum paſcha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur. Tunc congregati ſunt principes ſacerdotū & ſeniores populi in atrium principis ſacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & conſilium fecerunt vt Ieſum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem, Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo. Cum autem Ieſus eſſet in Bethania in domo Simônis leproſi, acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti precioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt, dicentes. Vt quid perditio hęc? potuit enim iſtud vænúndari multo, & dari pauperibus. Sciens autem Ieſus, ait illis. Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonū operata eſt in me. nam ſemper pauperes habetis vobiſcum: me autem non ſemper habetis. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus

meum:ad ſepeliēdum me,fecit. Amen dico vo-
bis, vbicunq; prædicatum fuerit hoc euangeliū
in toto mundo,dicetur & quod hęc fecit,in me-
moriam eius. Tunc abijt vnus de duodecim qui
dicitur Iudas Iſcariotes, ad principes ſacerdo-
tum: & ait illis. Quid vultis mihi dare, & ego
vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei tri-
ginta argenteos. Et exinde quærebat oportuni-
tatem vt eum traderet. Prima autem die azy-
morum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicētes.
Vbi vis paremus tibi comedere paſcha? At Ie-
ſus dixit. Ite in ciuitatem ad quendam:& dicite
ei. Magiſter dicit, Tempus meū prope eſt,apud
te facio paſcha cum diſcipulis meis. Et fecerunt
diſcipuli ſicut conſtituit illis Ieſus:& parauerūt
paſcha. Veſpere autem facto,diſcumbebat cum
duodecim diſcipulis ſuis. Et edentibus illis, di-
xit. Amen dico vobis quia vnus veſtrū me tra-
diturus eſt. Et contriſtati valde,cœperunt ſingu
li dicere. Nunquid ego ſum domine? At ipſe re-
ſpondens, ait. Qui intingit mecum manum in
paropſide, hic me tradet. Filius quidem homi-
nis vadit,ſicut ſcriptū eſt de illo: væ autem ho-
mini illi per quem filius hominis tradetur. bo-
num erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. Re-
ſpondens autem Iudas qui tradidit eum,dixit.
Nūquid ego ſum rabbi? Ait illi. Tu dixiſti. Cœ
nantibus autem eis,accepit Ieſus panem,& be-
nedixit, ac fregit: deditq; diſcipulis ſuis, & ait.
Accipite & comedite: hoc eſt corpus meum. Et
accipiēs calicem gratias egit:& dedit illis,dicēs.
Bibite ex hoc omnes. hic eſt enim ſanguis meus
noui teſtamēti,qui pro multis effundetur in re-

miſſionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam ámodo de hoc genimine vitis vſq; in diē illum cum illud bibam vobiſcum nouum in regno patris mei. Et hymno dicto, exierūt in mōtem oliueti. Tunc dicit illis Ieſus. Omnes vos ſcandalum patiemini in me, in iſta nocte. Scriptum eſt enim, Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis. Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. Reſpōdens autem Petrus, ait illi. Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor. Ait illi Ieſus. Amen dico tibi quia in hac nocte anteq̄ gallus cātet, ter me negabis. Ait illi Petrus. Etiā ſi oportuerit me mori tecum, nō te negabo. Similiter & omnes diſcipuli dixerūt. Tunc venit Ieſus cum illis in villam quæ dicitur Gethſemani: & dixit diſcipulis ſuis. Sedete hic, donec vadam illuc & orem. Et aſſumpto Petro & duobꝰ filijs Zebedæi, cœpit contriſtari & mœſtus eſſe. Tūc ait illis. Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem. ſuſtinete hic, & vigilate mecū. Et progreſſus puſillum, prócidit in faciem ſuam orans, & dicens. Pater mi, ſi poſſibile eſt, trāſeat à me calix iſte. verūtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Et venit ad diſcipulos ſuos, & īuenit eos dormiētes: & dicit Petro. Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Vigilate, & orate vt non intretis in tentationem. ſpiritus quidē promptus eſt: caro autem, infirma. Iterum ſecundo abijt: & orauit, dicēs. Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum: fiat voluntas tua. Et venit, & iterum inuenit eos dormientes. erant enim oculi eorum grauati. Et relictis illis iterū

abijt,& orauit tertio,eundem sermonem dicēs. Tunc venit ad discipulos suos,& dicit illis. Dormite iam & requiescite. ecce appropinquauit hora,& filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce appropinquauit qui me tradet. Adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit,& cum eo turba multa cum gladijs & fustibus, missi à principibus sacerdotum & senioribus populi. Qui autem tradidit eum,dedit illis signum,dicēs. Quemcunque osculatus fuero,ipse est: tenete eum. Et cōfestim accedens ad Iesum,dixit. Aue rabbi. Et osculatus est eum. Dixitque illi Iesus. Amice, ad quid venisti? Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum: & tenuerunt eum. Et ecce vnus ex his qui erant cum Iesu,extendens manum, exemit gladium suum: & percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit auriculam eius. Tunc ait illi Iesus. Conuerte gladium tuum in locum suum. omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas quia non possum rogare patrem meum: & exhibebit mihi modo plus quàm duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ quia sic oportet fieri? In illa hora dixit Iesus turbis. Tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me? quotidie apud vos sedebam docens in templo: & non me tenuistis. Hoc autem totum factum est, vt adimplerētur scripturæ prophetarum. Tūc discipuli omnes, relicto eo,fugerunt. At illi tenentes Iesum,duxerūt ad Caipham principem sacerdotum, vbi scribæ & seniores conuenerant. Petrus autem

ſequebatur eum à longe, vſq; in atrium princi-
pis ſacerdotum. Et ingreſſus intró, ſedebat cum
miniſtris: vt videret finem. Principes autem ſa-
cerdotum & omne cõcilium quærebant falſum
teſtimonium contra Ieſum, vt eum morti tra-
derent: & non inuenerũt, cum multi falſi teſtes
acceſſiſſent. Nouiſſime autem venerunt duo fal
ſi teſtes: & dixerunt. Hic dixit, Poſſum deſtrue-
re templum dei, & poſt triduum reædificare il-
lud. Et ſurgẽs princeps ſacerdotum, ait illi. Ni-
hil reſpondes ad ea quæ iſti aduerſum te teſtifi-
cantur? Ieſus autem tacebat. Et princeps ſacer-
dotum ait illi. Adiuro te per deum viuũ, vt di-
cas nobis ſi tu es Chriſtus filius dei. Dicit illi Ie
ſus. Tu dixiſti. veruntamen dico vobis, ámodo
videbitis filium hominis ſedẽtem à dextris vir-
tutis dei & venientẽ in nubibus cæli. Tũc prin
ceps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens.
Blaſphemauit. quid adhuc egemus teſtibus? ec-
ce nunc audiſtis blaſphemiam. quid vobis vide-
tur? At illi reſpõdentes, dixerunt. Reus eſt mor
tis. Tunc expuerunt in faciem eius: & colaphis
eum ceciderunt. alij autem palmas in faciem e-
ius dederunt, dicentes, Prophetiza nobis Chri-
ſte, quis eſt qui te percuſſit? Petrus vero ſedebat
foris, in atrio: & acceſſit ad eum vna ancilla, di-
cens. Et tu cum Ieſu Galilæo eras. At ille nega-
uit corã omnibus, dicens. Neſcio quid dicis. Ex-
eunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla:
& ait his qui erant ibi. Et hic erat cum Ieſu Na
zareno. Et iterum negauit cũ iuramento, Quia
non noui hominem. Et poſt puſillum acceſſerũt
qui ſtabant: & dixerunt Petro. Verè & tu ex il-

‡

lis es. nam & loquela tua manifeſtum te facit. Tunc cœpit deteſtari & iurare, quia non nouiſſet hominem. Et continuo gallus cātauit. Et recordatus eſt Petrus verbi Ieſu qui dixerat illi, Prius q̃ gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras, fleuit amare. Mane autem facto conſilium inierunt omnes principes ſacerdotum & ſeniores populi aduerſus Ieſum:, vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum: & tradiderūt Pontio Pilato præſidi. Tunc videns Iudas qui eum tradidit, ꝙ damnatus eſſet: pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum & ſenioribus, dicens. Peccaui tradens ſanguinē iuſtum. At illi dixerūt. Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo, receſſit: & abiens, laqueo ſe ſuſpendit. Principes autem ſacerdotum acceptis argenteis dixerunt. Non licet eos mittere in corbanan: quia precium ſanguinis eſt. Cōſilio autem inito, emerūt ex illis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus eſt ager ille, aceldema, hoc eſt, ager ſanguinis, vſque in hodiernum diem. Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Hieremiam prophetā, dicentem. Et acceperunt triginta argēteos preciū appreciati quē appreciauerunt à filijs Iſrael: & dederunt eos in agrū figuli, ſicut conſtituit mihi dominus. Ieſus autē ſtetit ante præſidem: & interrogauit eum præſes, dicēs. Tu es rex Iudæorum? Dicit illi Ieſus, Tu dicis. Et cum accuſaretur à principibus ſacerdotum & ſenioribus, nihil reſpondit. Tunc dicit illi Pilatus. Non audis quāta aduerſum te dicunt teſtimonia? Et non reſpōdit ei ad vllum

verbum: ita vt miraretur præſes vehementer. Per diem autem ſolennem conſueuerat præſes populo dimittere vnum vinctum quem voluiſſent. habebat autem tunc vinctũ inſignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus. Quem vultis dimittam vobis: Barabban, an Ieſum qui dicitur Chriſtus? Sciebat enim ꝙ per inuidiam tradidiſſent eum. Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eũ vxor eius, dicens. Nihil tibi & iuſto illi. multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eũ. Principes autem ſacerdotum & ſeniores, perſuaſerũt populo vt peterent Barabban, Ieſum vero perderẽt. Reſpondens autem præſes, ait illis. Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerũt. Barabban. Dicit illis Pilatus. Quid igitur faciam de Ieſu qui dicitur Chriſtus? Dicũt omnes. Crucifigatur. Ait illis pręſes. Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes. Crucifigatur. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret: accepta aqua lauit manus coram populo, dicens. Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius. vos videritis. Et reſpondẽs vniuerſus populus, dixit. Sanguis eiꝰ ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Tunc dimiſit illis Barabban: Ieſum autem flagellatũ tradidit eis vt crucifigeretur. Tunc milites præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorio, cõgregauerunt ad eum vniuerſam cohortem. & exuẽtes eum, chlamydem coccineam circundederunt ei: & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius. & genu flexo ante eum, illudebãt ei, dicentes. Aue rex Iudæorum.

12

‡

Et expuentes in eum, acceperūt arundinem, & percutiebant caput eius. Et poſtq̄ illuſerunt ei, exuerunt eum chlamydem:& induerūt eum ve ſtimentis eius,& duxerunt eum vt crucifigerēt. Exeūtes autem,inuenerūt hominē Cyrenæum, nomine Simônem: hunc angariauerunt vt tol-leret crucem eius. Et venerunt in locum qui di-citur Golgoltha,quod eſt Caluariæ locus.Et de-derunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Et cum guſtaſſet,noluit bibere.Poſtq̄ autem cruci-fixerunt eum,diuiſerunt veſtimēta eius ſortem mittentes: vt impleretur quod dictum eſt per prophetam dicentem.Diuiſerunt ſibi veſtimen ta mea: & ſuper veſtem meam miſerūt ſortem. Et ſedentes ſeruabant eum. Et impoſuerunt ſu per caput eius cauſam ipſius ſcriptam, Hic eſt Ieſus rex Iudæorum. Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones: vnus à dextris, & vnus à ſini-ſtris. Prætereuntes autem blaſphemabāt eum: mouentes capita ſua, & dicentes. Vah qui de-ſtruis templum dei, & in triduo illud reædifi-cas:ſalua temetipſum. ſi filius dei es deſcēde de cruce.Similiter & principes ſacerdotum illuden tes cum ſcribis & ſenioribus,dicebant,Alios ſal uos fecit:ſeipſum non poteſt ſaluū facere.ſi rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.confidit in deo: liberet nūc eum ſi vult. dixit enim,Quia filius dei ſum. Idipſum autem & la trones qui crucifixi erant cū eo,improperabant ei. A ſexta autem hora, tenebræ factæ ſunt ſu-per vniuerſam terram, vſq; ad horam nonam. Et circa horam nonam clamauit Ieſus voce ma gna,dicens.Eli,eli,lāma azabtani?hoc eſt, Deus

meus, deus meus, vt quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes & audientes, dicebant. Eliam vocat iste. Et cõtinuo currẽs vnus ex eis, acceptam spõgiam impleuit aceto: & imposuit arũdini, & dabat ei bibere. Cæteri vero dicebãt. Sine, videamus an veniat Elias liberãs eũ. Iesus autẽ iterum clamans voce magna, emisit spiritum. ✠ Et ecce velum tẽpli scissum est in duas partes, à summo vsq; deorsum. & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorũ qui dormierãt, surrexerũt. Et exeũtes de monumentis post resurrectionẽ eius, venerunt in sanctam ciuitatẽ: & apparuerunt multis. Centurio autẽ, & qui cũ eo erant custodientes Iesum, viso terræmotu & his quę fiebãt, timuerunt valde, dicẽtes. Verè filius dei erat iste. Erãt autẽ ibi mulieres multæ à lõge, quę secutæ erãt Iesum à Galilæa, ministrãtes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Ioseph mater, & mater filiorũ Zebedęi. Cum autem sero factum esset, vênit quidã homo diues ab Arimathæa, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu. hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus. Et accepto corpore, Ioseph ĩuoluit illud in sindone munda: & posuit illud in monumẽto suo nouo quod exciderat in petra. Et aduoluit saxum magnum ad ostium monumẽti, & abijt. Erat autẽ ibi Maria Magdalene, & altera Maria: sedẽtes contra sepulchrũ. Euangeliũ.

Altera autẽ die, quę est post parasceuen, conuenerũt principes sacerdotũ & pharisæi ad Pilatum, dicentes. Domine re-

cordati ſumus quia ſeductor ille dixit adhuc vi uens, Poſt tres dies reſurgam. Iube ergo cuſto= diri ſepulchrũ vſq; in diem tertium:ne forte ve niant diſcipuli eius & furentur eum, & dicant plebi,Surrexit à mortuis.& erit nouiſſimus er= ror peior priore.Ait illis Pilatus. Habetis cuſto diam.ite,cuſtodite ſicut ſcitis.Illi autem abeun tes munierunt ſepulchrum: ſignantes lapidem cum cuſtodibus. Die martis.

❡ Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundum Marcum.14.Cap.

IN illo tempore, Erat paſcha & azima poſt biduum: & quærebant ſummi ſacerdotes & ſcribæ quomodo eum dolo tenerẽt & oc= ciderent. Dicebant autem,Non in die feſto: ne forte tumultus fieret in populo. Et cum eſſet Bethaniæ in domo Simônis Leproſi,& recum= beret,vênit mulier habens alabaſtrum vnguen= ti nardi piſticæ precioſi: & fracto alabaſtro effu dit ſuper caput eius.Erant autem quidam indi= gne ferẽtes intra ſemetipſos,& dicẽtes.Vt quid perditio iſta vnguenti facta eſt? Poterat enim vnguentum iſtud vænúndari plus q̃ trecentis denarijs,& dari pauperibus. Et fremebãt in eã. Ieſus autem dixit. Sinite eam. quid illi moleſti eſtis?Bonum opus operata eſt in me.ſemper e= nim pauperes habetis vobiſcum,& cum volue= ritis poteſtis illis benefacere: me autem nõ ſem per habetis. Quod habuit, hæc fecit: præuênit vngere corpus meum in ſepulturam.Amen di= co vobis, vbicunq; prædicatum fuerit euange= lium iſtud in vniuerſo mũdo, & quod fecit hæc narrabitur in memoriam eius. Et Iudas Iſcario

tes vnus de duodecim abijt ad ſummos ſacerdo
tes,vt próderet eum illis. Qui audientes gauiſi
ſunt: & promiſerũt ei pecuniam ſe daturos. Et
quærebat quomodo illum oportune traderet.
Et primo die azymorum quando paſcha immo
labant,dicunt ei diſcipuli.Quò vis eamus,& pa
remus tibi vt manduces paſcha? Et mittit duos
ex diſcipulis ſuis: & dicit eis. Ite in ciuitatem:
& occurret vobis homo lagenam aquę baiulãs.
ſequimini eum:& quocunq; introierit,dicite do
mino domus, quia magiſter dicit, Vbi eſt refe-
ctio mea, vbi paſcha cum diſcipulis meis man-
ducem? Et ipſe vobis demonſtrabit cœnaculum
grande ſtratum:& illic parate nobis.Et abierũt
diſcipuli eius,& venerunt in ciuitatem: & inue
nerunt ſicut dixerat illis,& parauerunt paſcha.
Veſpere autem facto, venit cum duodecim. Et
diſcumbentibus eis & manducantibus , ait Ie-
ſus. Amẽ dico vobis quia vnus ex vobis tradet
me qui manducat mecum. At illi cœperunt con
triſtari, & dicere ei ſingulatim. Nunquid ego?
Qui ait illis. Vnus ex duodecim, qui intingit
mecum manum in catino. & filius quidem ho-
minis vadit ſicut ſcriptum eſt de eo: væ autem
homini illi per quem filius hominis tradetur.bo
num erat ei: ſi non eſſet natus homo ille.Et mã
ducantibus illis,accepit Ieſus panem: & benedi
cẽs fregit,& dedit eis,& ait illis.Sumite, hoc eſt
corpus meum. Et accepto calice, gratias agens
dedit eis. & biberunt ex illo omnes. Et ait illis.
Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro
multis effundetur. Amen dico vobis quia iam
non bibam de genimine vitis, vſq; in diem illũ

cum illud bibam nouum in regno dei. Et hym-
no dicto, exierunt in montem oliuarum. Et ait
eis Ieſus. Omnes ſcandalizabimini in me in no
cte iſta: quia ſcriptum eſt, Percutiam paſtorem:
& diſpergentur oues. Sed poſtquā reſurrexero,
præcedam vos in Galilæam. Petrus autem ait
illi. Et ſi omnes ſcādalizati fuerint: ſed non ego.
Et ait illi Ieſus. Amen dico tibi quia tu hodie in
nocte hac priuſquam gallus vocem bis dederit,
ter me es negaturus. At ille amplius loqueba-
tur, Et ſi oportuerit me ſimul commori tibi, nō
te negabo. Similiter autem & omnes dicebant.
Et veniunt in prædium cui nomen Gethſema-
ni. Et ait diſcipulis ſuis. Sedete hic donec orem.
Et aſſumit Petrum & Iacobum & Ioannem ſe-
cum: & cœpit pauere & tædere. Et ait illis. Tri-
ſtis eſt anima mea vſque ad mortem. ſuſtinete
hic, & vigilate. Et cum proceſſiſſet paululum,
prócidit ſuper terram: & orabat vt ſi fieri poſ-
ſet tranſiret ab eo hora, & dixit. Abba pater,
omnia tibi poſſibilia ſunt: tranſfer calicem hūc
à me. ſed non quod ego volo, ſed quod tu. Et ve
nit: & inuenit eos dormientes. Et ait Petro. Si-
mon, dormis? non potuiſti vna hora vigilare? Vi
gilate, & orate vt non intretis in tentationem.
ſpiritus quidem promptus eſt: caro vero, infir-
ma. Et iterum abiens orauit, eundem ſermonē,
dicens. Et reuerſus, denuo inuenit eos dormien-
tes (erant enim oculi eorum grauati) & ignora-
bant quid reſponderent ei. Et venit tertio, & ait
illis. Dormite iam: & requieſcite. Sufficit. vênit
hora, ecce filius hominis tradetur in manus pec
catorū. Surgite, eamus. ecce, qui me tradet, pro-

pe eſt. Et adhuc eo loquẽte,venit Iudas Iſcario
tes vnus de duodecim, & cũ eo turba multa cũ
gladijs & lignis,à ſummis ſacerdotibꝰ & ſcribis
& ſenioribus. Dederat autẽ traditor eius ſignũ
eis,dicens.Quemcunqꝫ oſculatus fuero,ipſe eſt:
tenete eum,& ducite caute. Et cum veniſſet:ſta
tim accedens ad eum, ait. Rabbi. & oſculatus
eſt eum. At illi, manus iniecerunt in Ieſum: &
tenuerunt eum.Vnus autem quidam de circun
ſtãtibus,educẽs gladium percuſſit ſeruum ſum-
mi ſacerdotis:& amputauit illi auriculam.Et re
ſpondens Ieſus,ait illis. Tanq̃ ad latronem ex-
iſtis cum gladijs & lignis comprehendere me?
Quotidie eram apud vos in templo docens: &
non me tenuiſtis.Sed vt impleantur ſcripturæ.
Tunc diſcipuli eius relinquẽtes eum, omnes fu
gerunt. Adoleſcens autem quidam ſequebatur
eum amictus ſindone ſuper nudo:& tenuerunt
eum. At ille reiecta ſindone nudus profugit ab
eis.Et adduxerunt Ieſum ad ſummum ſacerdo
tem:& conuenerunt omnes ſacerdotes & ſcribę
& ſeniores. Petrus autẽ à longe ſecutus eſt eum
vſqꝫ intrò in atrium ſummi ſacerdotis: & ſede-
bat cum miniſtris ad ignem, & calefaciebat ſe.
Summi vero ſacerdotes & omne cõcilium quæ-
rebant aduerſus Ieſum teſtimoniũ,vt eum mor
ti traderent: nec inueniebãt.Multi autem teſti-
moniũ falſum dicebãt aduerſus eũ: & cõuenien
tia teſtimonia non erant.Et quidã ſurgentes,fal
ſum teſtimoniũ ferebant aduerſus eum dicẽtes,
Quoniã nos audiuimus eum dicentẽ,Ego diſſol
uã templũ hoc manufactũ,& poſt triduũ aliud
non manufactũ ędificabo.Et non erat cõueniẽs

testimoniũ illorũ. Et exurgẽs summus sacerdos in medium: interrogauit Iesum, dicens. Non respondes quicq̃ ad ea quæ tibi obijciũtur ab his? Ille autem tacebat: & nihil respondit. Rursum summus sacerdos interrogabat eum: & dixit ei. Tu es Christus filius dei benedicti? Iesus autem dixit illi. Ego sum. & videbitis filiũ hominis sedentem à dextris virtutis, & veniẽtem cum nubibus cæli. Sũmus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait. Quid adhuc desyderamus testes? Audistis blasphemiã. quid vobis videtur? Qui omnes condẽnauerunt eum esse reum mortis. Et cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere, & dicere ei, Prophetiza. & ministri alapis eum cædebant. Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit vna ex ancillis summi sacerdotis. & cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait. Et tu cum Iesu Nazareno eras? At ille negauit, dicens. Neq; scio, neque noui quid dicas. Et exijt foras ante atrium: & gallus cantauit. Rursus autem cum vidisset illum ancilla, cœpit dicere circunstantibus, Quia hic ex illis est. At ille iterum negauit. Et post pusillum rursum qui astabant dicebant Petro. Vere ex illis es. nam & Galilæus es. Ille autem cœpit anathematizare & iurare, Quia nescio hominem istum quem dicitis. Et statim gallus iterũ cantauit. Et recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei Iesus, Prius quàm gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere. Et confestim, mane cõsilium facientes summi sacerdotes cum senioribus & scribis & vniuerso concilio, vincientes Iesum, duxerunt

& tradiderunt Pilato. Et interrogauit eum Pilatus. Tu es rex Iudæorum? At ille respondens, ait illi. Tu dicis. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. Pilatus autẽ rursum interrogauit eum, dicens. Non respondes quicq̃? vide in quantis te accusant. Iesus autem amplius nihil respõdit: ita vt miraretur Pilatus. Per diẽ autem festũ solebat dimittere illis vnum ex vinctis quemcũq; petissent. Erat autem qui diceba tur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. Et cum ascendisset turba, cœpit rogare, sicut semper faciebat illis. Pilatus autem respõdit eis, & dixit. Vultis dimittam vobis regem Iudæorum? Scie bat enim q̃ per inuidiã tradidissent eum summi sacerdotes. Pontifices autem concitauerunt turbam, vt magis Barabban dimitteret eis. Pilatus autem iterum respondens, ait illis. Quid ergo vultis faciam regi Iudæorum? At illi iterũ clamauerunt, Crucifige eum. Pilatus vero dicebat illis. Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, Crucifige eum. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabban: & tradidit Iesum flagellis cæsum vt crucifigeretur. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorij, & conuocant totam cohortem: & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam. Et cœperunt salutare eũ, Aue rex Iudæorum. Et percutiebant caput eius arundine: & conspuebãt eum. & ponentes genua, adorabant eum. Et postquam illuserunt ei, exuerũt illum purpura, & induerunt eum vestimentis suis: & educunt illum vt crucifigerent eum. Et

angariauerũt prætereuntem quempiam Simô-
nem Cyrenæum veniẽtem de villa,patrem Ale
xandri & Rufi: vt tolleret crucem eius. Et per-
ducunt illum in Golgoltha locum: quod eſt in-
terpretatum,Caluariȩ locus.Et dabant ei bibe-
re myrrhatum vinum:& non accepit. Et cruci-
figentes eum diuiſerunt veſtimenta eius : mit-
tentes ſortem ſuper eis quis quid tolleret. Erat
autem hora tertia:& crucifixerunt eum.Et erat
titulus cauſæ eius inſcriptus, Rex Iudæorum.
Et cum eo crucifigunt duos latrones : vnum à
dextris, & alium à ſiniſtris eius. Et impleta eſt
ſcriptura quæ dicit, Et cum iniquis reputatus
eſt. Et prætereuntes blaſphemabant eum, mo-
uentes capita ſua, & dicentes. Vah qui deſtruis
templum dei,& in tribus diebus reædificas:ſal-
uum fac temetipſum deſcendens de cruce.Simi
liter & ſummi ſacerdotes illudẽtes,ad alterutrũ
cum ſcribis dicebant.Alios ſaluos fecit,ſeipſum
nõ poteſt ſaluum facere. Chriſtus rex Iſrael de-
ſcendat nũc de cruce:vt videamus &credamus.
Et qui cum eo crucifixi erãt, conuitiabantur ei.
Et facta hora ſexta, tenebræ factæ ſunt per to-
tam terram vſq; in horam nonam. Et hora no-
na exclamauit Ieſus voce magna, dicens. Eloi,
eloi lãma azabtani?quod eſt interpretatũ,Deus
meus,deꝰ meus,vt quid dereliquiſti me?Et qui-
dam de circunſtantibus audientes,dicebant. Ec
ce,Eliam vocat.Currens autem vnus,& implẽs
ſpongiam aceto circumponensq; calamo, potũ
dabat ei,dicens.Sinite:videamus ſi veniat Elias
ad deponendum eum.Ieſus autem emiſſa voce
magna expirauit. Et velum tẽpli ſciſſum eſt

in duo, à summo vsq; deorsum. Videns autem centurio qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset: ait. Verè hic homo, filius dei erat. Erant autem & mulieres de longe aspiciētes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris & Ioseph mater, & Salome, & cum esset in Galilæa sequebantur eum, & ministrabant ei, & aliæ multæ quæ simul cum eo ascenderant Hierosolymam. Euangelium.

ET cum iam sero esset factum (quia erat parascêue quod est ante sabbatum) vênit Ioseph ab Arimathæa nobilis decurio, qui & ipse erat expectās regnum dei. Et audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Pilatus autem mirabatur si iam obijsset. Et accersito centurione, interrogauit eum si iam mortuus esset. Et cum cognouisset à cēturione: donauit corpus, Ioseph. Ioseph autem mercatus sindonem, & deponens eum inuoluit sindone, & posuit eum in monumento quod erat excisum de petra, & aduoluit lapidem ad ostium monumenti. Die mercurij.

¶ Passio Domini nostri Iesu Christi secundum Lucam 22. Cap.

IN illo tempore, Appropinquabat dies festus azymorum, qui dicitur pascha: & quærebant principes sacerdotum & scribę quomodo eum interficerent, timebāt vero plebem. Intrauit autem satanas in Iudam qui cognominabatur Iscariotes, vnum de duodecim: & abijt & locutus est cum principibus sacerdotū & magistratibus quemadmodum illum traderet eis. Et gauisi sunt: & pacti sunt pecuniam illi dare.

Et ſpopondit. Et quærebat oportunitatem: vt traderet illum ſine turbis. Vênit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha. Et miſit Petrum & Ioannem, dicens. Euntes parate nobis paſcha, vt manducemus. At illi dixerunt. Vbi vis paremus? Et dixit ad eos. Ecce introeuntibus vobis in ciuitatẽ occurret vobis homo amphoram aquæ portãs: ſequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamiliâs domus. Dicit tibi magiſter, Vbi eſt diuerſorium vbi paſcha cum diſcipulis meis manducem? Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum: & ibi parate. Euntes autem inuenerunt ſicut dixit illis: & parauerunt paſcha. Et cum facta eſſet hora, diſcubuit & duodecim apoſtoli cum eo: & ait illis. Deſyderio deſyderaui hoc paſcha mãducare vobiſcum, antequam patiar. Dico enim vobis quia ex hoc non mãducabo illud donec impleatur in regno dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit. Accipite & diuidite inter vos. dico enim vobis ꝙ non bibam de generatione vitis, donec regnũ dei veniat. Et accepto pane gratias egit & fregit: & dedit eis, dicens. Hoc eſt corpus meũ, quod pro vobis datur. hoc facite in meam cõmemorationem. Similiter & calicem poſtq̃ cœnauit, dicens. Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur. Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa. Et quidem filius hominis ſecundum quod definitũ eſt, vadit: verũtamẽ væ homini illi per quem tradetur. Et ipſi cœperunt quærere inter ſe, quis eſſet ex eis qui hoc facturus eſſet. Facta eſt autem & contentio

inter cos, quis eorum videretur eſſe maior. Di-
xit autem eis. Reges gentium dominantur eo-
rum:& qui poteſtatem habent ſuper eos,bene-
fici vocantur.Vos autem non ſic. ſed qui maior
eſt in vobis,fiat ſicut iunior:& qui pręceſſor eſt,
ſicut miniſtrator.Nam quis maior eſt: qui recũ
bit,an qui miniſtrat?nónne qui recumbit? Ego
autem in medio veſtrũ ſum ſicut qui miniſtrat.
vos autem eſtis qui permanſiſtis mecum in ten
tationibus meis. Et ego diſpono vobis ſicut diſ
poſuit mihi pater meus,regnum:vt edatis & bi
batis ſuper menſam meam in regno meo,& ſe-
deatis ſuper thronos iudicãtes duodecim tribus
Iſrael.Ait autem dominus Simôni.Simon,ecce
ſatanas expetiuit vos,vt cribraret ſicut triticũ:
ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides
tua.& tu aliquando conuerſus,confirma fratres
tuos.Qui dixit ei.Domine,tecum paratus ſum
& in carcerem & in mortem ire.Et ille dixit.Di
co tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec
ter âbneges noſſe me.Et dixit eis.Quando miſi
vos ſine ſacculo & pera & calceamẽtis:nunquid
aliquid defuit vobis?At illi dixerunt.Nihil.Di-
xit ergo eis.Sed nũc qui habet ſacculum,tollat:
ſimiliter & peram.& qui non habet,vendat tu-
nicam ſuam &emat gladium.Dico enim vobis
quoniam adhuc hoc quod ſcriptum eſt oportet
impleri in me,Et cum iniquis deputatus eſt. Et
enim ea quæ ſunt de me, finem habent. At illi
dixerunt.Domine,ecce duo gladij hic.At ille di
xit eis.Satis eſt. Et egreſſus ibat ſecundum con
ſuetudinem in montem Oliuarum.Secuti ſunt
autem illum & diſcipuli.Et cum perueniſſet ad

locum, dixit illis. Orate ne intretis in tentatio-
nem. Et ipſe auulſus eſt ab eis quantum iactus
eſt lapidis:& poſitis genibus orabat,dicens. Pa
ter,ſi vis tranſfer calicem iſtum à me. Verunta-
men non mea voluntas, ſed tua fiat. Apparuit
autem illi angelus de cælo cõfortans eum. Et fa
ctus in agonia,prolixius orabat. Et factus eſt ſu
dor eius,ſicut guttæ ſanguinis decurrẽtis in ter
ram. Et cum ſurrexiſſet ab oratione,& veniſſet
ad diſcipulos ſuos, inuênit eos dormientes præ
triſtitia. Et ait illis. Quid dormitis? ſurgite,ora-
te ne intretis in tentationem. Adhuc eo loquen
te: ecce turba, & qui vocabatur Iudas, vnus de
duodecim, antecedebat eos & appropinquauit
Ieſu,vt oſcularetur eum. Ieſus autem dixit illi.
Iuda,oſculo filium hominis tradis? Videntes au
tem hi qui circa ipſum erãt quod futurum erat,
dixerũt ei. Domine,ſi percutimus in gladio? Et
percuſſit vnus ex illis ſeruum principis ſacerdo
tum:& amputauit auriculam eius dexterã. Re
ſpondens autem Ieſus,ait. Sinite vſque huc. Et
cum tetigiſſet auriculam eius,ſanauit eum. Di-
xit autem Ieſus ad eos qui venerant ad ſe,prin-
cipes ſacerdotũ & magiſtratus templi & ſenio-
res. Quaſi ad latronem exiſtis cum gladijs & fu
ſtibus? Cum quotidie vobiſcum fuerim in tem-
plo,non extẽdiſtis manus in me. ſed hæc eſt ho-
ra veſtra,& poteſtas tenebrarum. Comprehen-
dentes autem eum, duxerunt ad domum prin-
cipis ſacerdotum: Petrus vero ſequebatur eum
à longe. Accenſo autem igne in medio atrij, &
circunſedentibus illis, erat Petrus in medio eo-
rum. Quem cum vidiſſet ancilla quædam ſeden

tem ad lumen, & eum fuiſſet intuita, dixit. Et hic cum illo erat. At ille negauit eum, dicēs. Mulier, non noui illum. Et poſt puſillū alius videns eum, dixit. Et tu de illis es. Petrus vero ait. O homo, non ſum. Et interuallo facto, quaſi horæ vnius, alius quidam affirmabat, dicens. Verè & hic cum illo erat. nam & Galilæus eſt. Et ait Petrus. Homo, neſcio quid dicis. Et cōtinuo adhuc illo loquēte cantauit gallus. Et conuerſus dominus reſpexit Petrum. Et recordatus eſt Petrus verbi domini ſicut dixerat, Quia prius q̃ gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras Petrus, fleuit amare. Et viri qui tenebant illum: illudebant ei cædentes. Et velauerunt eum, & percutiebāt faciem eius, & interrogabant eum, dicentes. Prophetiza: quis eſt qui te percuſſit? Et alia multa blaſphemantes dicebant in eum. Et vt factus eſt dies, conuenerūt ſeniores plebis & principes ſacerdotum & ſcribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum, dicentes. Si tu es Chriſtus, dic nobis. Et ait illis. Si vobis dixero, non credetis mihi: ſi autem & interrogauero, non reſpondebitis mihi, neq; dimittetis. ex hoc autem erit filius hominis ſedens à dextris virtutis dei. Dixerunt autem omnes. Tu ergo es filius dei? Qui ait. Vos dicitis, quia ego ſum. At illi dixerunt. Quid adhuc deſyderamus teſtimonium? ipſi enim audiuimus de ore eius. Et ſurgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accuſare, dicētes. Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum regem eſſe. Pilatus autem interro-

gauit eum, dicens. Tu es rex Iudæorum? At ille respondens ait. Tu dicis. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum & turbas. Nihil inuenio causæ in hoc homine. At illi inualescebāt, dicentes. Commouet populum docēs per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsq; huc. Pilatus autem audiēs Galilæam: interrogauit si homo, Galilæus esset. Et vt cognouit q; de Herodis potestate esset: remisit eum ad Herodē, qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso Iesu, gauisus est valde. erat enim cupiēs ex multo tempore videre eum, eo q; audiret multa de eo: & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem principes sacerdotum & scribæ constanter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo: & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Pilatus & Herodes in ipsa die. nam antea inimici erant adinuicem. Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum & magistratibus & plebe, dixit ad illos. Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum: & ecce, ego coram vobis interrogās, nullam causam inuenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis. Sed neq; Herodes. nam remisi vos ad illum: & ecce, nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, vnum. Exclamauit autem simul vniuersa turba, dicens. Tolle hūc, & dimitte nobis Barabban. qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate & homi-

cidium,missus in carcerem. Iterum autem Pila
tus locutus est ad eos, volens dimittere Iesum.
At illi succlamabant,dicentes. Crucifige,crucifi
ge eum.Ille autem tertio dixit ad illos. Quid e-
nim mali fecit iste? nullam causam mortis inue
nio in eo.corripiam ergo illum & dimittam.At
illi instabāt vocibus magnis postulantes vt cru
cifigeretur:& inualescebant voces eorum.Et Pi
latus adiudicauit fieri petitionem eorum.Dimi
sit autem illis eum qui propter homicidium &
seditionem missus fuerat in carcerē, quem pe-
tebant:Iesum vero tradidit volūtati eorum. Et
cum ducerent eum,apprehenderunt Simônem
quendam Cyrenensem veniētem de villa:& im
posuerunt illi crucē portare post Iesum.Seque-
batur autem illum multa turba populi & mu-
lierum: quæ plangebāt & lamentabantur eum.
Conuersus autem ad illas Iesus,dixit.Filiæ Hie
rusalē,nolite flere super me: sed super vosipsas
flete,& super filios vestros. quoniam ecce veni-
ent dies in quibus dicent,Beatæ steriles,& ven-
tres qui non genuerūt, & vbera quæ non lacta-
uerunt: Tunc incipient dicere montibus, Cadi-
te super nos:& collibus,Operite nos.Quia si in
viridi ligno hæc faciunt:in arido quid fiet? Du-
cebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt
interficerentur.Et postq̄ venerunt in locum qui
vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum: & la-
trones,vnum à dextris & alterum à sinistris. Ie
sus autem dicebat. Pater,dimitte illis. nō enim
sciunt quid faciunt.Diuidentes vero vestimen-
ta eius,miserunt sortes.Et stabat populus expe
ctans,& deridebant eum principes cum eis, di-

TORY

‡

centes. Alios ſaluos fecit, ſe ſaluum faciat, ſi hic eſt Chriſtus dei electus. Illudebant autem ei & milites accedentes & acetum offerentes ei, & di centes. Si tu es rex Iudæorum, ſaluum te fac. Erat autem & ſuperſcriptio ſcripta ſuper eum li teris Græcis & Latinis & Hebraicis, Hic eſt rex Iudæorum. Vnus autem de his qui pendebant latronibus, blaſphemabat eum, dicens. Si tu es Chriſtus: ſaluum fac teipſum & nos. Reſpondens autem alter, increpabat eum, dicens. Neq; tu times deum, q̄ in eadem damnatione es? Et nos quidem iuſte: nam digna factis recipimus. hic vero, nihil mali geſſit. Et dicebat ad Ieſum. Domine, memēto mei cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Ieſus. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Erat autem ferè hora ſexta: & tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram vſq; in horam nonā. Et obſcuratus eſt ſol: & velum templi ſciſſum eſt medium. Et clamās voce magna Ieſus, ait. Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et hæc dicens, expirauit. ✠ Videns autem cēturio quod factum fuerat, glorificauit deum, dicens. Verè, hic homo iuſtus erat. Et omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud & videbant quæ fiebant, percutiētes pectora ſua reuertebātur. Stabant autem omnes noti eius à longe: & mulieres quæ ſecutæ eum erant à Galilæa hæc videntes.

Euangelium.

ET ecce, vir nomine Ioſeph qui erat decurio, vir bonus & iuſtus, hic non conſenſerat conſilio & actibus eorum, ab Arimathæa ciuitate Iudææ, qui expectabat & ipſe re-

gnum dei. hic acceſſit ad Pilatũ, & petijt corpus Ieſu: & depoſitum inuoluit ſindone, & poſuit illum in monumento exciſo, in quo nondũ quiſquam poſitus fuerat. Die veneris.

ℭ Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundum Ioannem. 18. Cap.

EGreſſus eſt Ieſus cũ diſcipulis ſuis trans torrẽtem Cedron, vbi erat ortus, in quẽ introiuit ipſe & diſcipuli eius. Sciebat autem & Iudas qui tradebat eum, locum: quia frequenter Ieſus conuenerat illuc cum diſcipulis ſuis. Iudas ergo cũ accepiſſet cohortem, & à põtificibus & phariſæis miniſtros: venit illuc cũ laternis & facibus & armis. Ieſus itaq; ſciens omnia quę ventura erant ſuper eum, proceſſit & dixit eis. Quem quæritis? Reſponderunt ei. Ieſum Nazarenum. Dicit eis Ieſus. Ego ſum. Stabat autem & Iudas qui tradebat eum, cũ ipſis. Vt ergo dixit eis, Ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogauit eos. Quem quæritis? Illi autem dixerunt. Ieſum Nazarenum. Reſpondit Ieſus. Dixi vobis quia ego ſum. ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire. Vt impleretur ſermo quẽ dixit, Quia quos dediſti mihi non perdidi ex eis quenquã. Simon ergo Petrus habẽs gladium, eduxit eum: & percuſſit pontificis ſeruum, & abſcidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen ſeruo, Malchus. Dixit ergo Ieſus Petro. Mitte gladiũ tuũ in vaginam. Calicem quẽ dedit mihi pater, non bibam illum? Cohors autem & tribunus & miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum, & ligauerunt eum: & adduxerunt eum ad Annam

primum. erat enim ſocer Caiphæ,qui erat pon
tifex anni illius. erat autem Caiphas qui conſi-
lium dederat Iudæis, Quia expedit vnum ho-
minem mori pro populo.Sequebatur autem Ie
ſum Simon Petrus,& alius diſcipulus.Diſcipu
lus autem ille, erat notus pontifici, & introiuit
cum Ieſu in atrium põtificis:Petrus autem ſta-
bat ad oſtium foris.Exiuit ergo diſcipulus alius
qui erat notus pontifici, & dixit oſtiariæ: & in-
troduxit Petrum. Dicit ergo Petro ancilla oſtia
ria.Nunquid & tu ex diſcipulis es hominis iſti-
us? Dicit ille.Non ſum.Stabant autem ſerui &
miniſtri ad prunas,quia frigus erat:& calefacie
bant ſe. erat autem cum eis & Petrus, ſtans, &
calefaciens ſe.Pontifex ergo interrogauit Ieſum
de diſcipulis ſuis & de doctrina eius. Reſpon-
dit ei Ieſus. Ego palàm locutus ſum mundo, e-
go ſemper docui in ſynagoga & in templo quò
omnes Iudæi conueniunt:& in occulto locutus
ſum nihil. Quid me interrogas? interroga eos
qui audierũt quid locutus ſum ipſis.ecce,hi ſci-
unt quæ dixerim ego.Hęc autem cum dixiſſet:
vnus aſſiſtens miniſtrorum,dedit alapam Ieſu,
dicens.Sic reſpondes pontifici?Reſpondit ei Ie
ſus. Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe
de malo.ſi autem bene,quid me cædis?Et miſit
eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.
Erat autem Simon Petrus ſtans & calefaciens
ſe.Dixerunt ergo ei. Nunquid & tu ex diſcipu
lis eius es? Negauit ille & dixit. Non ſum.Di-
cit ei vnus ex ſeruis pontificis cognatus eius cu
ius abſcidit Petrus auriculam.Nonne ego te vi
di in orto cum illo? Iterũ ergo negauit Petrus:

& ſtatim gallus cantauit. Adducũt ergo Ieſum à Caipha in prætorium. Erat autem mane: & ipſi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent paſcha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit. Quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc? Reſponderunt & dixerunt ei. Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum. Dixit ergo eis Pilatus. Accipite eum vos, & ſecũdum legem veſtram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi. Nobis non licet interficere quenq̃. Vt ſermo Ieſu impleretur quem dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus. Introiuit ergo iterum in prætoriũ Pilatus: & vocauit Ieſum, & dixit ei. Tu es rex Iudæorum? Reſpondit Ieſus. A temetipſo hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Reſpondit Pilatus. Nũquid ego Iudæus ſum? Gens tua & põtifices, tradiderũt te mihi. Quid feciſti? Reſpondit Ieſus. Regnum meum non eſt de hoc mũdo. ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtiq; decertarẽt vt non traderer Iudæis. nunc autem regnum meum non eſt hinc. Dixit itaque ei Pilatus. Ergo rex es tu? Reſpondit Ieſus. Tu dicis, quia rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mũdũ: vt teſtimonium perhibeam veritati. omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus. Quid eſt veritas? Et cum hoc dixiſſet, iterũ exiuit ad Iudæos, & dicit eis. Ego nullam inuenio in eo cauſam. Eſt autem conſuetudo vobis vt vnum dimittam vobis in paſcha. vultis ergo dimittam vobis regem Iudæorũ? Clamauerunt rurſum omnes dicentes. Non hunc, ſed Barab-

ban.Erat autem Barabbas,latro. Tunc ergo ap
prehendit Pilatus Ieſum,& flagellauit.Et mili-
tes plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt
capiti eius:& veſte purpurea circũdederunt eũ.
Et veniebant ad eum, & dicebant.Aue rex Iu-
dæorum.& dabant ei alapas. Exiuit iterum Pi-
latus,& dicit eis. Ecce adduco vobis eum foras,
vt cognoſcatis quia in eo nullam inuenio cau-
ſam.Exiuit ergo Ieſus foras, portans coronam
ſpineam,& purpureum veſtimentum. Et dicit
eis.Ecce homo.Cum ergo vidiſſent eum ponti
fices & miniſtri,clamabant dicentes,Crucifige,
crucifige eum. Dicit eis Pilatus. Accipite eum
vos:& crucifigite. ego enim non inuenio in eo
cauſam.Reſpõderunt ei Iudæi.Nos legem ha-
bemus:& ſecundum legem debet mori,quia fi
lium dei ſe fecit.Cũ ergo audiſſet Pilatus hunc
ſermonem,magis timuit.Et ingreſſus eſt præ-
torium iterum:& dicit ad Ieſum. Vnde es tu?
Ieſus autem reſponſum non dedit ei.Dicit er-
go ei Pilatus.Mihi nõ loqueris?neſcis quia po-
teſtatem habeo crucifigere te,& poteſtatem ha
beo dimittere te? Reſpondit Ieſus.Non habe-
res poteſtatẽ aduerſum me vllam: niſi tibi da-
tum eſſet deſuper. Propterea qui me tradidit
tibi, maius peccatum habet. Et exinde quære-
bat Pilatus dimittere eũ. Iudæi autem clama-
bant,dicentes. Si hunc dimittis,non es amicus
Cæſaris.omnis enim qui ſe regem facit: cõtra-
dicit Cæſari.Pilatus autẽ cum audiſſet hos ſer
mones,adduxit foras Ieſum:& ſedit pro tribu
nali,in loco qui dicitur Lithoſtrotos, Hebraice
autem Gabatha.Erat autem paraſcêue paſchę

hora quaſi ſexta: & dicit Iudæis. Ecce rex ve-
ſter.Illi autem clamabant. Tolle tolle: crucifige
eum.Dicit eis Pilatus.Regem veſtrum crucifi-
gam? Reſponderunt pontifices.Non habemus
regem,niſi Cæſarem. Tunc ergo tradidit eis il-
lum, vt crucifigeretur. Suſceperunt autem Ie-
ſum:& eduxerũt eum.Et baiulans ſibi crucem,
exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum, He-
braice autem Golgoltha: vbi crucifixerũt eum,
& cum eo alios duos hinc & hinc, medium autẽ
Ieſum.Scripſit autem & titulum Pilatus:& po
ſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum, Ieſus
Nazarenus rex Iudæorum.Hunc ergo titulum
multi Iudæorum legerunt: quia prope ciuitatẽ
erat locus vbi crucifixus eſt Ieſus. Et erat ſcri-
ptum Hebraice, Græce,& Latine.Dicebant er-
go Pilato põtifices Iudęorum.Noli ſcribere,rex
Iudæorum:ſed quia ipſe dixit,Rex ſum Iudæ-
orum.Reſpondit Pilatus.Quod ſcripſi,ſcripſi.
Milites ergo cum crucifixiſſent eum: acceperũt
veſtimẽta eius(& fecerunt quatuor partes:vni-
cuiq; militi partem)& tunicam.Erat autem tu-
nica,inconſutilis, deſuper contexta per totum.
Dixerũt ergo adinuicem.Non ſcindamus eam,
ſed ſortiamur de illa cuius ſit. Vt ſcriptura im-
pleretur,dicens,Partiti ſunt veſtimenta mea ſi-
bi:& in veſtem meam miſerunt ſortem. Et mi-
lites quidem hæc fecerunt.Stabãt autem iuxta
crucẽ Ieſu mater eius,& ſoror matris eius,Ma-
ria Cleophæ,& Maria Magdalene. Cum vidiſ-
ſet ergo Ieſus matrẽ & diſcipulum ſtãtem quẽ
diligebat,dicit matri ſuæ.Mulier, ecce filius tu-
us.Deinde dicit diſcipulo.Ecce mater tua.Et ex

illa hora accepit eam diſcipulus in ſua. Poſtea ſciens Ieſus quia omnia cōſummata ſunt, vt cōſummaretur ſcriptura, dicit. Sitio. Vas autem erat poſitum aceto plenum. Illi autem ſpongiā plenam aceto, hyſôpo circumponentes, obtulerūt ori eius. Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit. Cōſummatum eſt. Et inclinato capite, tradidit ſpiritum. ✠ Iudæi ergo (quoniam paraſcêue erat) vt non remanerent in cruce corpora ſabbato (erat enim magnus, dies ille ſabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura & tollerentur. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cum veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura: ſed vnus militum lancea latus eius aperuit, & cōtinuo exiuit ſanguis & aqua. Et qui vidit, teſtimonium perhibuit: & verum eſt teſtimonium eius. Et ille ſcit quia vera dicit: vt & vos credatis. Facta ſunt enim hæc, vt ſcriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia ſcriptura dicit, Videbūt in quem tranſfixerunt.

Euangelium.

POſt hæc autem rogauit Pilatū Ioſeph ab Arimathæa, (eo ꝙ eſſet diſcipulus Ieſu, occultus autem propter metum Iudæorū) vt tolleret corpus Ieſu. Et permiſit Pilatus. Vênit ergo, & tulit corpus Ieſu. Vênit autem & Nicodemus qui venerat ad Ieſum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes quaſi libras centum. Acceperunt autem corpus Ieſu, & ligauerūt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. Erat autem in loco vbi

crucifixus eſt, ortus: & in orto monumentum nouum, in quo nõdum quiſquam poſitus erat. Ibi ergo propter paraſcêuen Iudæorum: quia iuxta erat monumentum, poſuerunt Ieſum. Deo gratias. ℣. Qui paſſus es pro nobis. ℟. Domine miſerere nobis. ℣. Domine exaudi orationẽ meã. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oro.

DEus qui manus tuas, & pedes tuos, & totum corpus tuum pro nobis peccatoribus in ligno crucis poſuiſti, & coronam ſpineam à Iudæis in deſpectum tui ſacratiſſimi nominis ſuper caput tuum impoſitam ſuſtinuiſti, & quinque vulnera pro nobis peccatoribus in ligno crucis paſſus fuiſti: da nobis hodie & quotidie vſum pœnitentiæ, abſtinentiæ, patientiæ, humilitatis, caſtitatis, lumen, ſenſum & intellectum, & puram conſcientiam vſq; ad finem, Per te Ieſu Chriſte ſaluator mundi, Qui cum patre & ſpiritu ſancto viuis & regnas de⁹ Per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

NOŇ PLVS

❡ Orationes beati Gregorij papæ.

O Domine Ieſu Chriſte adoro te in cruce pendentem & coronam ſpineam in capite portãtem: deprecor te vt tua crux liberet me ab angelo percutiente. Pater noſter. Aue Maria.

O domine Ieſu Chriſte adoro te in cruce vulneratum, felle & aceto potatũ: deprecor te vt tua vulnera ſint remedium animæ meæ. Pater noſter. Aue Maria.

O dñe Ieſu Chriſte adoro te ĩ ſepulchro poſitũ, myrrha & aromatibus cõditum: deprecor te vt tua mors ſit vita mea. Pater noſt. Aue Maria.

O domine Iesu Christe adoro te descendentem ad inferos, liberantemq́ captiuos: deprecor te ne me illuc permittas introire. Pater noster. Aue Maria.

O domine Iesu Christe adoro te resurgentem à mortuis, ascendentem ad cælos, sedentemq́ ad dexteram patris: deprecor te miserere mei. Pater noster. Aue Maria.

O domine Iesu Christe pastor bone, iustos conserua, peccatores iustifica, omnibus fidelibus miserere: & propitius esto mihi peccatori. Pater noster. Aue Maria.

O domine Iesu Christe propter illam amaritudinem quam pro me miserrimo peccatore sustinuisti in cruce, maxime in illa hora quando nobilissima anima tua egressa est de corpore tuo: deprecor te miserere animæ meæ ĩ egressu suo. Amen. Pater noster. Aue Maria.

¶ Salutatio deuota beatiss. virginis Mariæ.

AVe regina cælorum, aue domina angelorum. Salue radix sancta, ex qua mundo lux est orta. Gaude gloriosa super omnes speciosa. Vale valde decôra: & pro nobis sẽper Christũ exora. Amen. Et benedicta sit sancta Anna mater tua, ex qua sine macula caro tua processit virginea. Amen.

¶ Oratio ad beatã virginẽ Mariã metrica.

Alma redemptoris mater, quæ peruia cæli
Porta manes, & stella maris: succurre cadenti
Surgere qui curat populo. tu quæ genuisti,
Natura mirante, tuum sanctum genitorem
Virgo prius, ac posterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud aue: peccatorum miserere.



HORAE, in laudem beatiſs. ſemper virginis MARIAE, ſecundum conſuetudinem ecclesiæ Romanæ.

AVE GRATIA PLENA, DOMINVS TECVM. BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS.



Ad matutinum Verſus.

Domine labia mea aperies. ℟.Et os meum annunciabit laudẽ tuã.
℣.Deus in adiutoriũ meũ intẽde
℟.Dñe ad adiuuãdũ me feſtina.
Gloria patri,& filio,& ſpiritui ſã
cto. Sicut erat in principio,& nunc,& ſemper,

& in ſecula ſeculorum. Amen. Alleluia. Et dici-
tur à Paſcha reſurrectionis, vſq; ad ſeptuageſi-
mam. Et à ſeptuageſima, vſq; ad paſcha dicitur
Laus tibi domine rex æternæ gloriæ. Inuitato-
rium. Aue Maria gratia plena, Dominus tecũ.
Aue Maria gratia plena, Dñs tecum. Pſalmus.

VEnite, exultemus dño, iubilemus deo ſalutari noſtro: præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in pſalmis iubilemus ei. Aue Maria gratia plena Dominus tecũ.

Quoniam deus magnus dominus, & rex magnus ſuper omnes deos: quoniam non repellet dominus plebem ſuam, quia in manu eius ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicit. Dominus tecum.

Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius. venite, adoremus, & procidamus ante deum, ploremus corám domino qui fecit nos: quia ipſe eſt domin⁹ deus noſter, nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius. Aue Maria gratia plena Dñs tecum.

Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecũdum diem tentationis in deſerto, vbi tentauerũt me patres veſtri. probauerunt, & viderunt opera mea. Dominus tecum.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi, ſemper hi errãt corde. ipſi vero nõ cognouerũt vias meas, quib⁹ iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Aue Maria g.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen. Dominus tecum. Aue Ma-

ria gratia plena dominus tecum. Hymnus.

QVem terra, pontus, æthera colunt, adorant, prædicant, trinam regentem machinam claustrum Mariæ baiulat.
Cui luna, sol, & omnia deseruiũt per tempora, perfusa cæli gratia gestant puellæ viscera.
Beata mater munere, cui9 supernus artifex, mũdũ pugillo cõtinens, vẽtris sub arca clausus est.
Beata cæli nuncio, fœcunda sancto spiritu, desyderatus gentibus, cuius per aluum fusus est.
Gloria tibi domine, qui natus es de virgine, cũ patre, & sancto spiritu in sempiterna secula, Amen. Tres hi psalmi sequentes dicuntur ad matutinum die Dominico, die Lunæ, & die Iouis.
añ. Benedicta tu. Psalmus.

DOmine dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?
Quoniam eleuata est magnificẽtia tua super cælos.
Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos: vt destruas inimicum & vltorem.
Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum: lunam & stellas quæ tu fundasti.
Quid est homo quòd memor es eius: aut filius hominis, quoniam visitas eum?
Minuisti eum paulominus ab angelis: gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.
Omnia subiecisti sub pedibus eius: oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi,
Volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.

Domine dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra?

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſan. Sicut erat. añ. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. añ. Sicut myrrha. Pſalmus

CAEli enarrant gloriam dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum.

Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat ſcientiam.

Non ſunt loquelæ neqꝫ ſermones quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

In ſole poſuit tabernaculum ſuum: & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo,

Exultauit vt gigas ad currendam viam: à ſummo cælo egreſſio eius.

Et occurſus eius vſqꝫ ad ſummum eius: nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.

Lex domini immaculata, conuertens animas: teſtimonium domini fidele, ſapientiã præſtans paruulis.

Iuſtitiæ domini rectæ, lætificantes corda: præceptum domini lucidum, illuminans oculos.

Timor domini ſanct⁹ permanet in ſeculũ ſeculi. iudicia domini vera, iuſtificata in ſemetipſa:

Deſyderabilia ſuper aurum & lapidem precioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauum.

Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea: in cuſtodiẽdis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: & ab alienis parce ſeruo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immacula-

tus ero,& emundabor à delicto maximo.
Et erunt vt cõplaceant eloquia oris mei,& meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.
Domine adiutor meus, & redemptor meus.
Gloria patri, & filio, & spi.. Sicut erat. añ. Sicut myrrha electa odorem dedisti suauitatis sancta dei genitrix.. añ. Ante thorum. Psalmus.
DOmini est terra,& plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuersi qui habitãt in eo.
Quia ipse super maria fundauit eum: & super flumina præparauit eum.
Quis ascendet in montem domini? aut quis stabit in loco sancto eius?
Innocens manibus & mũdo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo:
Hic accipiet benedictionem à domino, & misericordiam à deo salutari suo.
Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem dei Iacob.
Attollite portas principes vestras,& eleuamini portæ æternales:& introibit rex gloriæ.
Quis est iste rex gloriæ? dominus fortis & potens: dominus potens in prælio.
Attollite portas principes vestras,& eleuamini portæ æternales:& introibit rex gloriæ.
Quis est iste rex glorię? dominus virtutum ipse est rex gloriæ.
Gloria patri,& filio,& spiritui sancto. Sicut erat. añ. Ante thorum huius virginis frequentate nobis dulcia cãtica dragmatis. ℣. Diffusa est gratia.& cætera quę ãte lectiones. Tres hi psalmi sequentes dicuntur die Martis, & die Vene-

ris ad matutinum.aṅ. Specie tua. Pſalmus.

ERuctauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.

Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.

Speciosus forma præ filijs hominum : diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te deus in æternum.

Accingere gladio tuo ſuper femur tuũ, potentiſſime.

Specie tua & pulchritudine tua intẽde proſpe re, procede & regna.

Propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiam:& deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent in cor da inimicorum regis.

Sedes tua deus in ſeculũ ſeculi: virga directionis, virga regni tui.

Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem : propterea vnxit te deus deus tuus oleo lætitiæ prę conſortibus tuis.

Myrrha, & gutta, & caſſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.

Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate.

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuã:& obliuiſcere populum tuum,& domum patris tui.

Et concupiſcet rex decôrem tuum, quoniã ipſe eſt dominus deus tuus: & adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus: vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.

Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fim-

brijs aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur regi virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi.

Afferentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui domine, in omni generatione & generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternũ & in seculum seculi.

Gloria patri, & filio. Sicut erat in. añ. Specie tua, & pulchritudine tua intende prospere procede, & regna. añ. Adiuuabit eam. Psalmus.

Deus nõster refugiũ & virtus: adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis.

Propterea nõ timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum: conturbati sunt montes in fortitudine eius.

Fluminis impetus lætificat ciuitatem dei: sanctificauit tabernaculum suum altissimus.

Deus in medio eius non commouebitur: adiuuabit eam deus mane diluculo.

Conturbatę sunt gẽtes & inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster deus Iacob.

Venite, & videte opera domini quę posuit prodigia super terram,

Auferens bella vsq; ad finem terræ: arcum conteret & cõfringet arma, & scuta comburet igni.

Vacate & videte quoniam ego ſum deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.
Dominus virtutum nobiſcum: ſuſceptor noſter deus Iacob.
Gloria patri,& filio. Sicut erat ĩ principio. añ. Adiuuabit eã deus vultu ſuo,deus in medio ei⁹ non commouebitur. añ. Sicut lætantium. p̃s.

FVndamenta eius in montibus ſanctis: diligit dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.
Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas dei.
Memor ero Raab & Babylonis ſcientium me.
Ecce alienigenæ, & Tyrus,& populus Æthiopum: hi fuerunt illic.
Nunquid Sion dicet, homo, & homo natus eſt in ea:& ipſe fundauit eam altiſſimus?
Dominus narrabit in ſcripturis populorum & principum: horum qui fuerunt in ea.
Sicut lætantium omnium: habitatio eſt in te.
Gloria patri. Sicut erat. añ. Sicut lætantium omnium noſtrum,habitatio eſt in te ſancta dei genitrix. ℣. Diffuſa eſt gratia,& cætera quæ ante lectiones. Tres hi pſalmi ſequentes dicuntur die Mercurij,& die Sabbati ad matutinum. añ. Gaude Maria. Pſalmus.

CAntate domino canticum nouum: cantate domino omnis terra.
Cantate domino & benedicite nomini eius: annunciate de die in diem ſalutare eius.
Annunciate inter gentes gloriam eius: in omnibus populis mirabilia eius.
Quoniã magnus dominus & laudabilis nimis: terribilis eſt ſuper omnes deos.

Quoniam omnes dij gentium, dęmonia: dominus autem cælos fecit.
Confeſſio & pulchritudo in cõſpectu eius: ſanctimonia & magnificẽtia in ſanctificatione ei9.
A fferte domino patriæ gentium, afferte domino gloriã & honorem: afferte domino gloriam nomini eius.
T ollite hoſtias & introite in atria eius: adorate dominum in atrio ſancto eius.
Commoueatur à facie eius vniuerſa terra: dicite in gentibus quia dominus regnauit.
E tenim correxit orbem terrę qui non commouebitur: iudicabit populos in æquitate.
L ætẽtur cæli & exultet terra: cõmoueatur mare, & plenitudo eius: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis ſunt.
T unc exultabũt omnia ligna ſyluarum à facie domini: quia venit, quoniã venit iudicare terrã.
I udicabit orbem terræ in æquitate: & populos in veritate ſua.
G loria patri, & filio. S icut erat in. añ. Gaude Maria virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo. añ. Dignare me. Pſalmus.

D Ominus regnauit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ.
N ubes & caligo in circumitu eius: iuſtitia & iudicium correctio ſedis eius.
I gnis ante ipſum præcedet: & inflammabit in circumitu inimicos eius.
A lluxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit, & cõmota eſt terra.
M ontes ſicut cera fluxerunt à facie domini: à facie domini omnis terra.

Annunciauerunt cæli iuſtitiam eius:& viderũt omnes populi gloriam eius.
Confundantur omnes qui adorant ſculptilia: & qui gloriantur in ſimulachris ſuis.
Adorate eum omnes angeli eius:audiuit,& læ-tata eſt Sion.
Et exultauerunt filiæ Iudæ,propter iudicia tua domine.
Quoniam tu dominus altiſſimus ſuper omnẽ terram: nimis exaltatus es ſuper omnes deos.
Qui diligitis dominum odite malum : cuſtodit dominus animas ſanctorum ſuorum, de manu peccatoris liberabit eos.
Lux orta eſt iuſto:& rectis corde lætitia.
Lætamini iuſti in domino: & confitemini me-moriæ ſanctificationis eius.
Gloria patri. Sicut erat in principio. añ. Di-gnare me laudare te virgo ſacrata, da mihi vir-tutem cõtra hoſtes tuos. añ. Poſt partum. ps̃.
CAntate domino canticum nouum:quia mirabilia fecit.
Saluauit ſibi dextera eius, & brachium ſanctum eius.
Notum fecit dominus ſalutare ſuũ: in conſpe-ctu gentium reuelauit iuſtitiam ſuam.
Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ domui Iſrael.
Viderunt oẽs termini terræ ſalutare dei noſtri.
Iubilate domino omnis terra: cantate, & exul-tate,& pſallite.
Pſallite domino ĩ cithara,in cithara & voce pſal mi,in tubis ductilibus,& voce tubæ corneæ.
Iubilate in conſpectu regis domini: moueatur

mare, & plenitudo eius: orbis terrarum, & qui habitant in eo.
Flumina plaudēt manu, simul mōtes exultabūt à cōspectu domini: quoniā venit iudicare terrā.
Iudicabit orbem terrarum in iustitia: & populos in æquitate.
Gloria patri, & filio. Sicut erat ī principio. añ. Post partum virgo inuiolata permāsisti, dei genitrix intercede pro nobis. ℣. Diffusa est gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te de⁹ in æternum. Pater noster. Et ne nos. Absolutio.

PRecibus & meritis beatæ Mariæ semper virginis, & omniū sanctorum perducat nos dominus ad regna cælorū. ℟. Amē. ℣. Iube dñe benedicere. Benedictio. Nos cū prole pia benedicat virgo Maria. ℟. Amē. lectio. j.

IN omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate domini morabor. Tūc pręcepit, & dixit mihi creator omnium, & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi. In Iacòb inhabita, & in Israèl hęreditare, & in electis meis mitte radices. Tu autem domine miserere nostri. ℟. Deo gratias. ℟. Sancta, & immaculata virginitas, quibus te laudib⁹ efferam, nescio. Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quia quem cæli capere. ℣. Iube domine benedicere. Benedictio In omni tribulatione & angustia, succurrat nobis virgo Maria. ℟. Amen. lectio. ij.

ET sic in Siòn firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Hierusalem potestas mea. Et radicaui in po

pulo honorificato,& in partes dei mei hęreditas illius, & in plenitudine ſanctorũ detentio mea. Tu autem domine miſerere noſtri. ℟.Deo gratias. ℟.Beata es virgo Maria,quæ dominũ portaſti creatorem mundi. Genuiſti qui te fecit, & in æternum permanes virgo. ℣.Aue Maria gratia plena, dominus tecum. Genuiſti. ℣. Iube domine benedicere. Benedictio.Per virginem matrem cõcedat nobis dominus ſalutem, & pacem. ℟. Amen. Lectio.iij.

QVaſi cedrus exaltata ſum in Libano,& quaſi cypreſſus in monte Sión. Quaſi palma exaltata ſũ in Cadés,& quaſi plãtatio roſæ in Hiericho.Quaſi oliua ſpecioſa in cãpis,& quaſi platanus exaltata ſum iuxta aquas. In plateis ſicut cinnamomũ,& balſamũ aromatizãs odorẽ dedi.quaſi myrrha electa dedi ſuauitatẽ odoris. Tu autem dñe miſerere noſtri. ℟.Deo gratias. ℟.Felix nãq; es ſacra virgo Maria,& omni laude digniſſima, Quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ Chriſtus deus noſter. ℣.Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu.ſentiãt omnes tuũ iuuamen,quicũq; celebrant tuã ſanctam cõmemorationem. Quia ex te. ℣.Gloria patri. Chriſtus deus noſter. Hymnus Ambroſij & Auguſtini.

TE deum laudamus,te dominum confitemur.

Te æternum patrem omnis terra veneratur.

Tibi oẽs angeli,tibi cæli,& vniuerſę poteſtates,

Tibi cherubim,& ſeraphim,ĩceſſabili voce proclamant

Sanctus.
S anctus.
S anctus dominus deus ſabaóth.
P leni ſunt cæli,& terra, maieſtatis gloriæ tuæ.
Te glorioſus apoſtolorum chorus,
Te prophetarum laudabilis numerus,
Te martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarũ ſancta cõfitetur eccleſia,
P atrem immenſæ maieſtatis,
V enerandum tuum verum,& vnicum filium,
S anctum quoqꝫ paracletum ſpiritum.
Tu rex gloriæ Chriſte.
Tu patris ſempiternus es filius.
Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti virginis vterum.
Tu deuicto mortis aculeo, aperuiſti credẽtibus regna cælorum.
Tu ad dexteram dei ſedes in gloria patris.
I udex crederis eſſe venturus.
T e ergo quæſimus famulis tuis ſúbueni, quos precioſo ſanguine redemiſti.
Ae terna fac cũ ſanctis tuis in gloria numerari.
S aluum fac populum tuum domine, & benedic hæreditati tuæ.
E t rege eos,& extolle illos,vſqꝫ in æternum.
P er ſingulos dies benedicimus te.
E t laudamus nomen tuum in ſeculum,& in ſeculum ſeculi.
D ignare dñe die iſto ſine peccato nos cuſtodire.
M iſerere noſtri domine,miſerere noſtri.
F iat miſericordia tua domine ſuper nos,quemadmodum ſperauimus in te.
I n te domine ſperaui,non cõfundar in æternũ.



Ad laudes Verſus.

DEus in adiutorium meũ intende. ℟.Domine ad adiuuandũ me feſtina. Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nũc, & ſemper, & in ſecula ſeculorũ. Amen. Alleluia. añ. Aſſumpta eſt. p̃s.

Dominus regnauit, decorē indutus eſt: indutus eſt dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.
Etenim firmauit orbem terrę:qui non commouebitur.
Parata ſedes tua deus ex tunc:à ſeculo tu es.
Eleuauerunt flumina domine: eleuauerunt flumina vocem ſuam.
Eleuauerunt flumina fluctus ſuos:à vocibus aquarum multarum.
Mirabiles elationes maris:mirabilis in altis dominus.
Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis:domum tuam decet ſanctitudo domine in longitudinem dierum.
Gloria patri, & filio,& ſpiritui ſancto.
Sicut erat in principio. añ. Aſſumpta eſt Maria in cælum, gaudent angeli laudantes benedicunt dominum. añ. Maria virgo. Pſalmus.
Iubilate deo omnis terra: ſeruite domino in lætitia.
Introite in conſpectu eius in exultatione.
Scitote quoniam dominus ipſe eſt deus:ipſe fecit nos,& non ipſi nos.
Populus eius & oues paſcuæ eius introite portas eius in confeſſione: atria eius in hymnis confitemini illi.
Laudate nomen eius,quoniam ſuauis eſt dominus: in æternum miſericordia eius, & vſque in generatione & generationem veritas eius.
Gloria patri. Sicut erat. añ. Maria virgo aſſumpta eſt ad æthereum thalamum, in quo rex regum ſtellato ſedet ſolio. añ. In odorē. Pſalmus.

DEus deus meus,ad te de luce vigilo.
Sitiuit in te anima mea: quàm multi-
pliciter tibi caro mea
In terra deserta inuia & inaquosa. sic in sancto
apparui tibi:vt viderem virtutem tuam & glo-
riam tuam.
Quoniam melior est misericordia tua super vi
tas:labia mea laudabunt te.
Sic benedicam te in vita mea:& in nomine tuo
leuabo manus meas.
Sicut adipe & pinguedine repleatur anima
mea:& labijs exultationis laudabit os meum.
Sic memor fui tui super stratũ meũ: in matuti
nis meditabor in te,quia fuisti adiutor meus.
Et in velamento alarum tuarũ exultabo,adhæ-
sit anima mea post te:me suscepit dextera tua.
Ipsi vero inuanum quæsierũt animam meam,
introibunt in inferiora terræ:tradentur in ma-
nus gladij,partes vulpium erunt.
Rex vero lætabitur in deo, laudabũtur omnes
qui iurant in eo:quia obstructum est os loquen
tium iniqua. Psalmus.

DEus misereatur nostri, & benedicat no-
bis,illuminet vultum suum super nos,
& misereatur nostri:
Vt cognoscamus in terra viam tuam,in omni-
bus gentibus salutare tuum.
Confiteantur tibi populi deus,confiteantur ti-
bi populi omnes.
Lætentur & exultent gentes:quoniam iudicas
populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.
Confiteantur tibi populi deus, confiteantur ti
bi populi omnes: terra dedit fructum suum.

B enedicat nos deus deus noſter, benedicat nos deus:& metuant eum omnes fines terræ.
G loria patri,& filio,& ſpiritui ſancto.
S icut erat. añ. In odorem vnguentorum tuorũ currimus. adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. añ. Benedicta filia. Canticũ trium puerorũ.

B Enedicite omnia opera domini domino. laudate,& ſuperexaltate eum in ſecula.
B enedicite angeli domini domino.benedicite cæli domino.
B enedicite aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt dño. benedicite omnes virtutes domini dño.
B enedicite ſol,& luna domino. benedicite ſtellæ cæli domino.
B enedicite imber,& ros domino. benedicite omnis ſpiritus dei domino.
B enedicite ignis, & æſtus domino . benedicite frigus,& æſtas domino.
B enedicite rores,& pruina domino. benedicite gelu,& frigus domino.
B enedicite glacies,& niues domino. benedicite noctes,& dies domino.
B enedicite lux,& tenebræ domino. benedicite fulgura,& nubes domino.
B enedicat terra dominum:laudet,& ſuperexaltet eum in ſecula.
B enedicite montes,& colles domino. benedicite vniuerſa germinantia in terra domino.
B enedicite fontes domino.benedicite maria,& flumina domino.
B enedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis dño. benedicite omnes volucres cæli dño.
B enedicite omnes beſtiæ,& pecora domino.be

nedicite filij hominum domino.
Benedicat Israel dominũ. laudet, & superexaltet eum in secula.
Benedicite sacerdotes domini domino. benedicite serui domini domino.
Benedicite spiritus, & animæ iustorũ domino. benedicite sancti, & humiles corde domino.
Benedicite Anania, Azaria, Misaël domino, laudate, & superexaltate eum in secula.
Benedicamus patrem, & filium cum sancto spiritu: laudemus, & superexaltemus eũ in secula.
Benedictus es dñe in firmamẽto cæli, & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus ĩ secula. añ.
Benedicta filia tu à domino: quia per te fructũ vitæ cõmunicauimus. añ. Pulchra es. Psalmus.

LAudate dominum de cælis: laudate eum in excelsis.
Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.
Laudate eum sol, & luna: laudate eum omnes stellæ, & lumen.
Laudate eum cæli cælorum: & aquæ quæ super cælos sunt, laudent nomen domini.
Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.
Statuit ea in æternũ, & in seculum seculi: præceptum posuit, & non præteribit.
Laudate dominum de terra: dracones, & omnes abyssi,
Ignis, grãdo, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius.
Montes & omnes colles: ligna fructifera & omnes cedri.

Bestiæ,& vniuersa pecora, serpētes,& volucres pennatæ.

Reges terræ,& omnes populi:principes,& omnes iudices terræ:

Iuuenes,& virgines: senes cum iunioribus laudent nomen domini:quia exaltatum est nomen eius solius.

Confessio eius super cælum & terram: & exaltauit cornu populi sui.

Hymnus omnibus sanctis eius filijs Israel populo appropinquanti sibi. Psalmus.

CAntate domino canticum nouum: laus eius in ecclesia sanctorum.

Lætetur Israel in eo qui fecit eum: & filiæ Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen eius in choro: in tympano & psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est domino in populo suo: & exaltauit mansuetos in salutem.

Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.

Exultationes dei in gutture eorum,& gladij ancipites in manibus eorum:

Ad faciendam vindictam in nationibus,increpationes in populis:

Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis:

Vt faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis eius. Psalmus.

LAudate dominum in sanctis eius:laudate eum in firmamento virtutis eius.

Laudate eum in virtutibus eius:laudate eum secūdum multitudinē magnitudinis eius.

Laudate eum in sono tubæ:laudate eũ in psalterio & cithara.
Laudate eum in tympano & choro:laudate eũ in chordis & organo.
Laudate eum in cymbalis benesonantibus,laudate eum in cymbalis iubilationis:omnis spiritus laudet dominum.
Gloria patri,& filio,& spiritui sancto.
Sicut erat in principio,& nunc,& semper,& in secula seculorum. Amen. añ. Pulchra es, & decôra filia Hierusalem,terribilis, vt castrorum acies ordinata. Capitulum.
VIderũt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt:reginę,& laudauerunt eam. ℟. Deo gratias. Hymnus.
O Gloriosa domina, excelsa supra sydera: qui te creauit prouide, lactasti sacro vbere.
Quod Eua tristis abstulit,tu reddis almo germine. intrẽt vt astra flebiles,cæli fenestra facta es.
Tu regis alti ianua, & porta lucis fulgida. vitã datam per virginem gẽtes redemptæ plaudite.
Gloria tibi domine, qui natus es de virgine, cũ patre & sancto spiritu in sempiterna secula. Amen. ℣. Benedicta tu in mulieribus. ℟. Et benedictus fructus ventris tui. añ. Beata dei genitrix. Canticum Zachariæ.
BEnedictus dominus deus Israel:qui a visitauit, & fecit redẽptionem plebis suæ.
Et erexit cornu salutis nobis,ĩ domo Dauid pueri sui,
Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt prophetarum eius,

Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos,
Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti,
Iuſiurandũ quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis
Vt ſine timore, de manu inimicorum noſtrorũ liberati, ſeruiamus illi
In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.
Et tu puer, propheta altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem domini parare vias eius,
Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remiſſionem peccatorum eorum
Per viſcera miſericordiæ dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto
Illuminare ijs, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.
Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.
Sicut erat in principio. añ. Beata dei genitrix virgo Maria perpetua, templum domini, ſacrarium ſpiritus ſancti, ſola ſine exemplo placuiſti domino noſtro Ieſu Chriſto. ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu. ¶ Et eſt ſciendum ꝙ à vigilia paſchæ vſqꝫ ad aſcenſionem domini loco prædictæ antiphonæ, dicitur ſequens añ. Regina cæli lætare, alleluia. Quia quẽ meruiſti portare, alleluia. Reſurrexit ſicut dixit, alleluia. Ora pro nobis deum, alleluia. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. ℣. Domine exaudi orationẽ meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

Deus qui de beatę Mariæ virginis vtero verbum tuum angelo nunciante carnē suſcipere voluiſti, præſta ſupplicibus tuis, vt qui vere eam dei genitricem credimus, eius apud te interceſſionibus adiuuemur, Per Chriſtum dominum noſtrum. ℟. Amen.

Cōmemoratio de ſanctis. añ. Sancti dei omnes intercedere dignemini pro noſtra omniũq; ſalute. ℣. Lætamini in domino, & exultate iuſti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde. Oratio

Protege domine populum tuum, & apoſtolorum tuorum Petri, & Pauli, & aliorum apoſtolorũ patrocinio confidentem perpetua defenſione conſerua. Oratio.

Omnes ſancti tui quęſimus domine nos vbiq; adiuuent, vt dum eorum merita recolimus, patrocinia ſentiamus, & pacem tuam noſtris concede temporibus, & ab eccleſia tua cũctam repelle nequitiam: iter, actus, & voluntates noſtras, & omnium famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone: benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribue, & omnibus fidelib9 defunctis requiem æternã cōcede, Per dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate ſpiritus ſancti deus, Per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Benedicamus domino. ℟. Deo gratias. ℣. Fidelium animæ defunctorũ per miſericordiam dei requieſcant in pace. ℟. Amen.

‡



Ad primam Versus.

DEus in adiutorium meū intende. ℟. Domine ad adiuuandum me festina. Gloria patri, & filio, & spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen. Alleluia. Hymnus.

MEmēto ſalutis autor, quòd noſtri quondam corporis, ex illibata virgine naſcendo formam ſumpſeris.

Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte prótege, & hora mortis ſuſcipe.

Gloria tibi domine, qui natus es de virgine, cũ patre & ſancto ſpiritu, in ſempiterna ſecula. Amen. añ. Aſſumpta eſt. Pſalmus.

DEus in nomine tuo ſaluum me fac: & in virtute tua iudica me.

Deus exaudi orationem meam, auribꝰ percipe verba oris mei:

Quoniam alieni inſurrexerunt aduerſum me, & fortes quæſierunt animam meã: & non propoſuerunt deum ante conſpectum ſuum.

Ecce enim deus adiuuat me: & dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.

Aduerte mala inimicis meis: & in veritate tua diſperde illos.

Voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo domine: quoniam bonum eſt.

Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me: & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.

Gloria patri, & filio. Sicut erat in principio. ps.

BEnedixiſti domine terram tuam: auertiſti captiuitatem Iacób.

Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum.

Mitigaſti omnem iram tuam: auertiſti ab ira indignationis tuæ.

Conuerte nos deus ſalutaris noſter: & auerte iram tuam à nobis.

Nunquid in æternũ iraſcêris nobis: aut exten-

des iram tuam à generatione in generationem?
Deus tu cõuersus viuificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.
Ostende nobis domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis.
Audiã quid loquatur in me dominus de9,quoniam loquetur pacem in plebem suam,
Et super sanctos suos,& in eos qui conuertuntur ad cor.
Veruntamen prope timẽtes eum salutare ipsius: vt inhabitet gloria in terra nostra.
Misericordia & veritas obuiauerunt sibi: iustitia & pax osculatæ sunt.
Veritas de terra orta est:& iustitia de cælo prospexit.
Etenim dominus dabit benignitatem:& terra nostra dabit fructum suum.
Iustitia ante eum ambulabit : & ponet in via gressus suos.
Gloria patri,& filio.. Sicut erat in principio.. p̃s.

LAudate dominum omnes gentes,laudate eum omnes populi.
Quoniã confirmata est super nos misericordia eius:& veritas domini manet in ęternũ.
Gloria patri,& filio, & spiritui sancto.
Sicut erat in principio, & nunc,& semper. añ.
Assumpta est Maria in cælum. gaudent angeli, laudantes benedicũt dominum.. Capitulum.

QVæ est ista,quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? ℟. Deo gratias. ℣. Dignare me laudare te virgo sacrata. ℟. Da mihi

virtutem contra hoſtes tuos. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. ℣. Dñe exaudi orationẽ meã. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Orõ.

DEus qui virginalem aulam beatæ Mariæ virginis, in qua habitares, eligere dignatus es, da quæſimus, vt ſua nos defenſione munitos, iucundos ſuæ facias intereſſe commemorationi, Qui viuis & regnas in ſecula ſeculorũ. ℟. Amen. ¶ Pro ſanctis añ. Sancti dei oẽs intercedere dignemini pro noſtra omniũq; ſalute. ℣. Lætamini in domino, & exultate iuſti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde. Oratio

EXaudi nos deus ſalutaris noſter, & apoſtolorum tuorum Petri, & Pauli, & aliorum apoſtolorum nos tuere præſidijs, quorum donaſti fideles eſſe doctrinis. Oratio.

OMnes ſancti tui quęſimus domine nos vbiq; adiuuent, vt dum eorum merita recolimus, patrocinia ſentiamus, & pacem tuam noſtris concede temporibus, & ab eccleſia tua cũctam repelle nequitiam: iter, actus, & voluntates noſtras, & omnium famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone: benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribue, & omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede, Per dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate ſpiritus ſancti deus, Per omnia ſecula ſeculorũ. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Benedicamus domino. ℟. Deo gratias. ℣. Fidelium animæ defunctorũ per miſericordiam dei requieſcant in pace. ℟. Amen.



Ad tertiam Verſus.

DEus in adiutorium meũ intende. ℞.Domine ad adiuuandum me feſtina, Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen. Alleluia. Hymnus.

MEmēto ſalutis autor, quòd noſtri quondam corporis, ex illibata virgine naſcendo formam ſumpſeris.

Maria mater gratiȩ, mater miſericordiȩ, tu nos ab hoſte prótege, & hora mortis ſuſcipe.

Gloria tibi domine, qui natus es de virgine, cū patre & ſancto ſpiritu, in ſempiterna ſecula. Amen. añ. Maria virgo. Pſalmus.

AD dominum cum tribularer clamaui: & exaudiuit me.

Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa.

Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam?

Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus deſolatorijs.

Hei mihi quia incolatus meus prolongatus eſt: habitaui cum habitātibus Cedár, multum incola fuit anima mea.

Cum his qui oderūt pacem, eram pacificus: cū loquebar illis, impugnabant me gratis.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc. Pſalmus.

LEuaui oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi.

Auxilium meū à domino: qui fecit cælum & terram.

Non det in commotionem pedem tuum: neq; dormitet qui cuſtodit te.

Ecce non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſraél.

Dominus cuſtodit te, dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam.

Per diem sol non vret te:neq; luna per noctem.
D ominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam dominus.
Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum ex hoc nunc & vsque in seculum.
G loria patri,& filio,& spiritui sancto.
S icut erat in principio, & nunc. Psalmus.
LAEtatus sum in his quę dicta sunt mihi, in domum domini ibimus.
S tantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalém.
H ierusalē quæ ædificatur vt ciuitas: cuius participatio eius in idipsum.
I lluc enim ascenderūt tribus,tribus domini:testimonium Israél ad cōfitendū nomini domini.
Quia illic sederunt sedes in iudicio: sedes super domum Dauid.
R ogate quæ ad pacem sunt Hierusalém: & abundantia diligentibus te.
F iat pax in virtute tua:& abundantia in turribus tuis.
P ropter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te.
P ropter domum domini dei nostri,quæsiui bona tibi.
G loria patri,& filio,& spiritui sancto.
S icut erat in principio, & nunc,& semper,& in secula seculorū. Amen. añ. Maria virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo rex regum stellato sedet solio. Capitulum.
ET sic in Siòn firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui,& in Hierusalem potestas mea. ℟. Deo gratias.

NON PLVS


℣.Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. ℟.Propterea benedixit te deus in æternũ.Kyrie eleiſon.Chriſte eleiſon.Kyrie eleiſon.℣.Domine exaudi orationẽ meã.℟.Et clamor meus ad te veniat. oro

DEus qui ſalutis æternę beatæ Mariæ virginitate fœcunda humano generi præmia prętitiſti,tribue quæſimus,vt ipſã pro nobis intercedere ſentiamus, per quã meruimus autorem vitæ ſuſcipere dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum. ℟. Amẽ.

¶Pro ſanctis añ. Sancti dei omnes intercedere dignemini pro noſtra omniumq́ꝫ ſalute. ℣.Lætamini in domino, & exultate iuſti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde. Oratio.

PRótege domine populum tuum,& apoſtolorum tuorum Petri, & Pauli, & aliorum apoſtolorũ patrocinio confidentem perpetua defenſione conſerua. Oratio.

OMnes ſancti tui quęſimus domine nos vbiqꝫ adiuuẽt,vt dum eorũ merita recolimus, patrocinia ſentiamus, & pacem tuã noſtris concede tẽporibus,& ab eccleſia tua cunctã repelle nequitiã: iter,actus,& volũtates noſtras,& omniũ famulorũ tuorũ in ſalutis tuę proſperitate diſpone.benefactoribꝰ noſtris ſempiterna bona retribue,& omnibus fidelibus defunctis requiẽ æternã concede,Per dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ filiũ tuũ,qui tecũ viuit,& regnat in vnitate ſpiritus ſancti deꝰ,Per oĩa ſecula ſeculorũ.Amẽ. ℣.Dñe exaudi orationẽ meã. ℟.Et clamor meꝰ ad te veniat.℣.Benedicamus dño. ℟.Deo grãs.℣.Fideliũ animæ defunctorũ per miſericordiã dei requieſcãt in pace. Amen.



Ad ſextam Verſus.

DEus in adiutorium meũ intende.
℟. Domine ad adiuuandũ me fe
ſtina. Gloria patri, & filio, & ſpi
ritui ſancto. Sicut erat in princi
pio, & nunc, & ſemper, & in ſecu
la ſeculorum. Amen. Alleluia. Hymnus.

MEmēto ſalutis autor, quòd noſtri quondam corporis, ex illibata virgine, naſcendo formam ſumpſeris.

Maria mater gratię, mater miſericordię, tu nos ab hoſte prótege, & hora mortis ſuſcipe.

Gloria tibi domine, qui natus es de virgine, cũ patre & ſancto ſpiritu, in ſempiterna ſecula. Amen. añ. In odorem. Pſalmus.

AD te leuaui oculos meos: qui habitas in cælis.

Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum,

Sicut oculi ancillæ in manibus dominę ſuæ: ita oculi noſtri ad dominum deum noſtrum donec miſereatur noſtri.

Miſerere noſtri domine, miſerere noſtri: quia multum repleti ſumus deſpectione.

Quia multum repleta eſt anima noſtra: opprobrium abundantibus & deſpectio ſuperbis.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen. Pſalmus.

NIſi quia dominus erat ĩ nobis, dicat nũc Iſrael, niſi quia dominus erat in nobis,

Cum exurgerent homines in nos: forte viuos deglutiſſent nos.

Cum iraſceretur furor eorum in nos: forſitan aqua abſorbuiſſet nos:

Torrentem pertranſiuit anima noſtra: forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilẽ.

Benedictus dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo

venantium.
Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.
A diutorium noſtrum in nomine domini, qui fecit cælum & terram.
G loria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.
S icut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen. Pſalmus.

QVi cõfidunt in domino ſicut mons Sión: non cõmouebitur in æternum qui habitat in Hieruſalem.
Montes in circumitu eius, & dominus in circumitu populi ſui: ex hoc nunc & vſque in ſeculum.
Quia non relinquet dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum: vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.
B enefac domine bonis & rectis corde.
D eclinantes autem in obligationes adducet dominus cum operãtibus iniquitatem: pax ſuper Iſrael.
G loria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.
S icut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorũ. Amen. añ. In odorem vnguentorum tuorum currimus, adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. Capitulum.

ET radicaui in populo honorificato, & in partes dei mei hæreditas illius, & in plenitudine ſanctorum detentio mea. ℟. Deo gratias. ℣. Benedicta tu in mulieribus. ℟. Et benedictus fructus vẽtris tui. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

Oncede misericors deus fragilitati nostræ præsidium, vt qui sanctæ dei genitricis virginis Mariæ memoriã agimus, intercessionis eius auxilio à nostris iniquitatibus resurgamus, Per eundem Christum dominum nostrum. ℟. Amen. ¶Pro sanctis añ. Sancti dei omnes intercedere dignemini pro nostra omniũq; salute. ℣. Lætamini in domino, & exultate iusti. ℟. Et gloriamini oẽs recti corde. Orõ

Exaudi nos deus salutaris noster, & apostolorum tuorum Petri, & Pauli, & aliorum apostolorum nos tuere præsidijs, quorum donasti fideles esse doctrinis. Oratio.

Omnes sancti tui quęsimus domine nos vbiq; adiuuent, vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus, & pacem tuam nostris concede temporibus, & ab ecclesia tua cũctam repelle nequitiam: iter, actus, & voluntates nostras, & omnium famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone: benefactoribus nostris sempiterna bona retribue, & omnibus fidelib9 defunctis requiem æternã cõcede, Per dominũ nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate spiritus sancti deus, Per omnia secula seculorum. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Benedicamus domino. ℟. Deo gratias. ℣. Fidelium animæ defunctorũ per misericordiam dei requiescant in pace. ℟. Amen.



Ad nonam Verſus.

Deus in adiutorium meũ intende. ℞. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen. Alleluia. Hymnus.

MEmēto ſalutis autor, quòd noſtri quondam corporis, ex illibata virgine naſcendo formam ſumpſeris.

Maria mater gratię, mater miſericordię, tu nos ab hoſte prótege, & hora mortis ſuſcipe.

Gloria tibi domine, qui natus es de virgine, cū patre & ſancto ſpiritu, in ſempiterna ſecula. Amen. añ. Pulchra es. Pſalmus.

IN conuertendo dominus captiuitatē Sión: facti ſumus ſicut conſolati.

Tunc repletū eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione.

Tunc dicent inter gentes, magnificauit dominus facere cum eis.

Magnificauit dominus facere nobiſcum: facti ſumus lætantes.

Conuertere domine captiuitatem noſtram ſicut torrens in auſtro.

Qui ſeminant in lachrymis: in exultatione metent.

Euntes ibant & flebant: mittentes ſemina ſua.

Venientes autem veniēt cum exultatione, portantes manipulos ſuos.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen. Pſalmus.

NIſi dominus ædificauerit domū: in vanum laborauerunt qui ædificant eam.

Niſi dominus cuſtodierit ciuitatē: fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas domini, filij, merces fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis: ita filij excussorum.

Beatus vir qui impleuit desyderium suum ex ipsis: non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria patri, & filio, & spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen. Psalmus.

BEati omnes qui timent dominũ, qui ambulant in vijs eius.

Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.

Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.

Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circumitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo, qui timet dominũ.

Benedicat tibi dominus ex Sión: & videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum: pacem super Israel.

Gloria patri, & filio, & spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen. añ. Pulchra es, & decôra filia Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata. Capitulum.

IN plateis sicut cinnamomũ, & balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris. ℟. Deo gratias.

℣. Post partum virgo inuiolata permansisti. ℟. Dei genitrix intercede pro nobis. Kyrie eleison.

Christe eleison. Kyrie eleison. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

FAmulorum tuorum quæsimus domine delictis ignosce, vt qui tibi placere de actibus nostris non valemus, genitricis filij tui domini nostri Iesu Christi intercessione saluemur, Per eundem Christum dominum nostrum. ℟. Amen. ¶ Pro sanctis añ. Sācti dei omnes intercedere dignemini pro nostra omniũq; salute. ℣. Lætamini in domino, & exultate iusti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde. Oratio

PRæsta quæsimus omnipotens deus, vt nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in apostolicæ confessionis petra solidasti. Oratio.

OMnes sancti tui quęsimus domine nos vbiq; adiuuent, vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus, & pacem tuam nostris concede temporibus, & ab ecclesia tua cũctam repelle nequitiam: iter, actus, & voluntates nostras, & omnium famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone: benefactoribus nostris sempiterna bona retribue, & omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede, Per dominũ nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate spiritus sancti deus, Per omnia secula seculorũ. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Benedicamus domino. ℟. Deo gratias. ℣. Fidelium animæ defunctorũ per misericordiam dei requiescant in pace. ℟. Amen.



Ad veſperas Verſus.

Deus in adiutorium meũ intende.
℟. Dñe ad adiuuãdũ me feſtina.
Gloria patri, & filio, & ſpiritui
ſancto. Sicut erat in principio, &
nunc, & ſemper, & in ſecula ſecu-
lorum. Amen. Alleluia. añ. Dum eſſet rex. ps.

Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis:
Donec ponam inimicos tuos ſcabellũ pedum tuorum.
Virgã virtutis tuæ emittet dominus ex Sión: dominare in medio inimicorum tuorum.
Tecũ principiũ in die virtutis tuæ in ſplẽdoribus ſanctorum: ex vtero ante luciferũ genui te.
Iurauit dominus, & non pœnitebit eũ: tu es ſacerdos in ęternũ ſecundũ ordinẽ Melchiſedech.
Dominus à dextris tuis: cõfregit in die iræ ſuæ reges.
Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: conquaſſabit capita in terra multorum.
De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.
Gloria patri, & filio. Sicut erat in principio. añ. Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit ſuauitatem odoris. añ. Leua eius. Pſalmus.
Laudate pueri dominum: laudate nomẽ domini.
Sit nomen domini benedictum: ex hoc nunc & vſque in ſeculum.
A ſolis ortu vſqꝫ ad occaſum: laudabile nomen domini.
Excelſus ſuper omnes gẽtes dominus: & ſuper cælos gloria eius.
Quis ſicut dominus deus noſter qui in altis habitat: & humilia reſpicit in cælo & in terra?
Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem:
Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui.

Qui habitare facit ſterilem in domo: matrem fi liorum lætantem.
Gloria patri, & filio. Sicut erat in principio. an̄.
Leua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. an̄. Nigra ſum. Pſalmus.
LAEtatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum domini ibimus.
Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Hieruſalém.
Hieruſalē quæ ædificatur vt ciuitas: cuius participatio eius in idipſum.
Illuc enim aſcēderūt tribus, tribus domini: teſtimoniū Iſraél ad confitendū nomini domini.
Quia illic ſederunt ſedes in iudicio: ſedes ſuper domum Dauid.
Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalém: & abundantia diligentibus te.
Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.
Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te.
Propter domum domini dei noſtri, quæſiui bona tibi.
Gloria patri. Sicut. an̄. Nigra ſum, ſed formoſa filia Hieruſalém, ideo dilexit me rex, & intro duxit me in cubiculū ſuum. an̄. Iam hyems. p̄s.
NIſi dominus ædificauerit domum: in vanum laborauerunt qui ædificant eam.
Niſi dominus cuſtodierit ciuitatē: fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.
Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite poſtq̄ ſederitis qui manducatis panem doloris.
Cum dederit dilectis ſuis ſomnum: ecce hære-

ditas domini,filij,merces fructus ventris.
Sicut sagittæ in manu potētis: ita filij excusso-
rum.
Beatus vir qui impleuit desyderium suum ex
ipsis: non confundetur cum loquetur inimicis
suis in porta.
Gloria patri,& filio. Sicut erat in prin. añ. Iam
hyems transijt, imber abijt & recessit, surge a-
mica mea & veni. añ. Speciosa. Psalmus.

LAuda Hierusalem dominum: lauda deū
tuum Sion.
Quoniam confortauit seras portarū tua-
rum:benedixit filijs tuis in te.
Qui posuit fines tuos pacem:& adipe frumen-
ti satiat te.
Qui emittit eloquium suū terræ: velociter cur-
rit sermo eius.
Qui dat niuem sicut lanam : nebulam sicut ci-
nerem spargit.
Mittit crystallum suam sicut buccellas: ante fa
ciem frigoris eius quis sustinebit?
Emittet verbum suum,& liquefaciet ea:flabit
spiritus eius,& fluent aquæ.
Qui annunciat verbum suum Iacob : iustitias
& iudicia sua Israel.
Non fecit taliter omni nationi : & iudicia sua
non manifestauit eis.
Gloria pa, Sicut, añ. Speciosa facta es,& suauis
in delicijs tuis sancta dei genitrix. Capitulum.

AB initio,& ante secula creata sum,& vs-
que ad futurum seculum non desinam,
& in habitatione sancta coram ipso mi
nistraui. ℞. Deo gratias. Hymnus.

AVe maris ſtella, dei mater alma, atque ſemper virgo, felix cæli porta,
Sumens illud aue, Gabrielis ore, funda nos in pace, mutans nomen Euæ.
Solue vincla reis, profer lumen cæcis, mala noſtra pelle, bona cuncta poſce.
Monſtra te eſſe matrem, ſumat per te preces, qui pro nobis natus, tulit eſſe tuus.
Virgo ſingularis, inter omnes mitis, nos culpis ſolutos, mites fac, & caſtos.
Vitam præſta puram, iter para tutum, vt videntes Ieſum, ſemper collætemur.
Sit laus deo patri ſummo, Chriſto decus, ſpiritui ſancto, tribus honor vnus. Amen. ℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. ℞. Propterea benedixit te deus in æternum. añ. Beata mater.

Canticum beatæ Mariæ virginis.

MAgnificat anima mea dominum.
Et exultauit ſpiritus meus in deo ſalutari meo,
Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatã me dicẽt omnes generationes,
Quia fecit mihi magna qui potens eſt: & ſanctum nomen eius.
Et miſericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum.
Fecit potẽtiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.
Depoſuit potẽtes de ſede, & exaltauit humiles.
Eſurientes impleuit bonis: & diuites dimiſit inanes.
Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus est ad patres nostros Abrahám, & semini eius in secula.

Gloria pa. añ. Beata mater, & innupta virgo, gloriosa, regina mūdi, intercede pro nobis ad dominū. ¶Et est sciēdū q̄ à vigilia paschæ vsq; ad ascēsionē dñi loco prædictę añæ dicitur sequēs añ. Regina cæli lætare, alleluia. Quia quē meruisti portare, alleluia. Resurrexit sicut dixit, alleluia. Ora pro nobis deū, alleluia. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. ℣. Dñe exaudi oratione meā. ℟. Et clamor me⁹ ad te veniat. Orõ.

COncede nos famulos tuos quæsimus domine deus perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa beatæ Mariæ sēper virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia, Per Christū dominū nostrū. Amen. ¶Pro sanctis. añ. Sācti dei oēs intercedere dignemini pro nostra omniūq; salute. ℣. Lætamini in dño, & exultate iusti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde. Oratio.

PRótege domine populum tuum, & apostolorum tuorum Petri, & Pauli, & aliorum apostolorū patrocinio confidentem perpetua defensione conserua. Oratio.

OMnes sācti tui quæsimus dñe nos vbique adiuuēt, vt dum eorū merita recolimus, patrocinia sentiamus, & pacē tuā nostris cōcede tēporibus, & ab ecclesia tua cunctā repelle nequitiā: iter, actus, & volūtates nostras, & omniū famulorum tuorū in salutis tuę prosperitate dispone: benefactorib⁹ nostris sempiterna bona retribue, & omnibus fidelibus defunctis requiē æternā cōcede. Per dñm no. &c.



Ad completorium Versus.

Conuerte nos deꝰ ſalutaris noſter.
℟. Et auerte iram tuam à nobis.
℣. Deus in adiutoriũ meũ intẽde.
℟. Dñe ad adiuuãdũ me feſtina.
Gloria patri, & filio. Sicut erat in principio, & nunc. &c. Alleluia. Pſalmus.

SAEpe expugnauerũt me à iuuẽtute mea, dicat nunc Iſraél,

Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi.

Supra dorſum meũ fabricauerunt peccatores: prolongauerunt iniquitatem ſuam.

Dominus iuſtus cõcidet ceruices peccatorum: confundantur & conuertantur retrorſum omnes qui oderunt Sión.

Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur exaruit:

De quo nõ implebit manum ſuam qui metet: & ſinum ſuum qui manipulos colliget.

Et non dixerũt qui præteribant, benedictio domini ſuper vos: benediximus vobis in nomine domini.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper. ps.

DE profundis clamaui ad te domine: domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſeruaueris dñe: domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te domine.

Suſtinuit anima mea in verbo eius: ſperauit anima mea in domino.

A cuſtodia matutina vſque ad noctem ſperet Iſraél in domino.

Quia apud dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſraél ex oĩbus iniquitatib⁹ ei⁹.

Gloria patri,& filio,& ſpiritui ſancto.
Sicut erat in principio,& nunc,& ſemper,& in ſecula ſeculorum. Amen. Pſalmus.

DOmine non eſt exaltatum cor meum: neque elati ſunt oculi mei.
Neque ambulaui in magnis: neque in mirabilibus ſuper me.
Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam:
Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea.
Speret Iſraël in domino, ex hoc nunc & vſque in ſeculum.
Gloria patri,& filio,& ſpiritui ſancto.
Sicut erat in principio,& nunc,& ſemper,& in ſecula ſeculorum. Amen. Hymnus.

MEmēto ſalutis autor,quòd noſtri quondam corporis,ex illibata virgine,naſcendo formam ſumpſeris.
Maria mater gratię,mater miſericordię,tu nos ab hoſte protege,& hora mortis ſuſcipe.
Gloria tibi domine,qui natus es de virgine, cũ patre & ſancto ſpiritu, in ſempiterna ſecula. Amen. Capitulum.

EGo mater pulchræ dilectionis,& timoris,& magnitudinis,& ſanctæ ſpei. ℟. Deo gratias. ℣. Ora pro nobis ſācta dei genitrix. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionib9 Chriſti. añ. Sub tuũ præſidiũ. Cāticũ Simeonis

NVnc dimittis ſeruum tuũ domine, ſecundum verbum tuum, in pace.
Quia viderunt oculi mei ſalutare tuũ,
Quod paraſti ante faciem omnium populorũ,

Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israél.
Gloria patri,& filio,& spiritui sancto.
Sicut erat in principio,& nunc,& semper,& in secula seculorum. Amen. añ. Sub tuum præsidium confugimus sancta dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed à periculis cunctis libera nos semper virgo gloriosa & benedicta. ¶ Et est sciendum quòd à vigilia paschæ vsque ad ascensionem domini loco prædictæ añæ, dicitur sequens añ. Regina cæli lætare, alleluia. Quia quem meruisti portare, alleluia. Resurrexit sicut dixit, alleluia. Ora pro nobis deum, alleluia. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

BEatæ,& gloriosæ semperq́ virginis Mariæ quæsimus domine intercessio gloriosa nos prótegat,& ad vitam perducat æternam, Per Christum dominum nostrum. ℟. Amen. ¶ Pro sanctis añ. Sancti dei omnes intercedere dignemini pro nostra omniumq́ salute. ℣. Lætamini in domino, & exultate iusti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde. Oratio.

EXaudi nos deus salutaris noster,& apostolorum tuorum Petri,& Pauli,& aliorum apostolorum nos tuere præsidijs, quorum donasti fideles esse doctrinis. Oratio.

OMnes sancti tui quęsimus domine nos vbiq; adiuuent, vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus,& pacem tuam nostris concede temporibus, & ab ecclesia tua cũctam repelle nequitiam: iter, actus,

& voluntates noſtras, & omnium famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone: benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribue, & omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede, Per dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate ſpiritus ſancti deus, Per omnia ſecula ſeculorũ. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Benedicamus domino. ℟. Deo gratias. ℣. Fidelium animæ defunctorũ per miſericordiam dei requieſcant in pace. ℟. Amen.

Canticum filiorum Euæ.

SAlue regina miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalue. Ad te clamamus exules filij Euæ. Ad te ſuſpiramus gementes & flẽtes in hac lachrymarum valle. Eia ergo aduocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte. Et Ieſum benedictũ fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende. O clemens, O pia, O dulcis Maria. ℣. Ora pro nobis ſãcta dei genitrix. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. Oratio.

OMnipotẽs ſempiterne deus, qui glorioſę virginis Marię corpus & animam vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur ſpiritu ſancto cooperãte præparaſti: da vt cuius cõmemoratione lætamur, ei⁹ pia interceſſione ab inſtantibus malis, & à morte perpetua atq; ſubitanea liberemur, Per eundem. ps.

DEus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri:

Vt cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutare tuum.
Confiteantur tibi populi deus, confiteantur tibi populi omnes.
Lætentur & exultent gentes: quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.
Confiteantur tibi populi deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum.
Benedicat nos deus deus noſter, benedicat nos deus: & metuant eum omnes fines terræ.
Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen. ℣. Domine deus virtutum conuerte nos. ℟. Et oſtende faciem tuam & ſalui erimus. ℣. Exurge Chriſte adiuua nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

DEus qui illuminas noctẽ, & lucem poſt tenebras facis, cõcede nobis famulis tuis, vt hanc noctem ſine vllo impedimento ſatanæ tranſeamus: atque in matutinis horis ad ſanctum altare tuum recurrentes, tibi domino deo viuo & vero laudes, & gratias agam⁹. Per dominum noſtrum. Oratio.

PRotector in te ſperãtium deus, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum: multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, vt te rectore, te duce ſic tranſeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna, Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filiũ tuum, Qui tecũ viuit & regnat deus, Per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Pro fidelibus defunctis. Pſalmus

DE profundis clamaui ad te domine: domine exaudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates obſeruaueris domine: domine quis ſuſtinebit?
Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te domine.
Suſtinuit anima mea in verbo ei9: ſperauit anima mea in domino.
A cuſtodia matutina vſq; ad noctem ſperet Iſraël in domino.
Quia apud dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.
Et ipſe redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus eius. ℣. Requiem æternam dona eis domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

DEus qui inter apoſtolicos ſacerdotes famulos tuos pontificali ſeu ſacerdotali feciſti dignitate vigere: præſta quæſimus, vt eorũ quoq; perpetuo aggregentur conſortio.

FIdelium deus omnium conditor & redẽptor, animabus famulorũ, famularumq; tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum: vt indulgentiam quam ſemper optauerunt, pijs ſupplicationibus cõſequantur, Qui viuis & regnas deus, Per omnia ſecula ſeculorum. Amen. ℣. Requieſcãt in pace. ℟. Amen.

¶ In aduentu Domini officiũ beatæ Mariæ virginis dicitur vt ſequitur. Ad matutinũ Verſus.

DOmine labia mea aperies. ℞.Et os meum annunciabit laudē tuā. ℣.Deus in adiutoriū meū intēde ℞.Dñe ad adiuuādū me festina. Gloria patri,& filio,& spiritui sā cto. Sicut erat in principio,& nunc,& semper, & in secula seculorū. Amen. Alleluia. Inuitatorium. Aue Maria gratia plena, Dominus tecū. Aue Maria gratia plena, Dñs tecum. Psalmus.

VEnite, exultemus dño, iubilemus deo salutari nostro: præoccupemus faciem eius in confessione,& in psalmis iubilemus ei. Aue Maria gratia plena Dominus tecū.

Quoniam deus magnus dominus, & rex magnus super omnes deos: quoniam non repellet dominus plebem suam, quia in manu eius sunt omnes fines terræ,& altitudines montium ipse conspicit. Dominus tecum.

Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius. venite, adoremus, & procidamus ante deum, ploremus coram domino qui fecit nos: quia ipse est domin⁹ deus noster, nos autem populus eius,& oues pascuæ eius. Aue Maria gratia plena Dñs tecum.

Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, vbi tentauerūt me patres vestri. probauerunt, & viderunt opera mea. Dominus tecum.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic,& dixi, semper hi errāt corde. ipsi vero nō cognouerūt vias meas, quib⁹ iuraui in ira mea, si introibunt in requiē meā. Aue Maria gratia.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen. Dominus tecum. Aue Maria gratia plena dominus tecum. Hymnus.

QVem terra, pontus, æthera colunt, adorant, prædicant, trinam regentem machinam clauſtrum Mariæ baiulat.

Cui luna, ſol, & omnia deſeruiũt per tempora, perfuſa cæli gratia geſtant puellæ viſcera.

Beata mater munere, cui⁹ ſupernus artifex, mũdũ pugillo cõtinens, vẽtris ſub arca clauſus eſt.

Beata cæli nuncio, fœcunda ſancto ſpiritu, deſyderatus gentibus, cuius per aluum fuſus eſt.

Gloria tibi domine, qui natus es de virgine, cũ patre, & ſancto ſpiritu in ſempiterna ſecula, Amen. ℭ Tres hi pſalmi ſequentes dicuntur ad matutinum die Dominico, die Lunæ, & die Iouis. añ. Benedicta tu. Pſalmus.

DOmine dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra?

Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos.

Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos : vt deſtruas inimicum & vltorem.

Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas quæ tu fundaſti.

Quid eſt homo quòd memor es eius : aut filius hominis, quoniam viſitas eum?

Minuiſti eum paulominus ab angelis : gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius : oues & bo-

ues.vniuersas, insuper & pecora campi,
Volucres cæli,& pisces maris,qui perambulant semitas maris.
Domine dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?
Gloria patri,& filio,& spiritui san. Sicut erat.
añ. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. añ. Sicut myrrha. Psalmus.
CAEli enarrant gloriam dei:& opera manuum eius annunciat firmamentum.
Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat scientiam.
Non sunt loquelæ neq; sermones quorum non audiantur voces eorum.
In omnem terram exiuit sonus eorum,& in fines orbis terræ verba eorum.
In sole posuit tabernaculum suum:& ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo,
Exultauit vt gigas ad currendam viam:à summo cælo egressio eius.
Et occursus eius vsq; ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius.
Lex domini immaculata,cõuertẽs animas:testimoniũ domini fidele,sapiẽtiã præstãs paruulis.
Iustitiæ domini rectæ,lætificantes corda:præceptum domini lucidum,illuminans oculos.
Timor domini sanct⁹ permanet in seculũ seculi. iudicia domini vera, iustificata in semetipsa:
Desyderabilia super aurum & lapidem preciosum multum,& dulciora super mel & fauum.
Etenim seruus tuus custodit ea:in custodiendis illis retributio multa.
Delicta quis intelligit?ab occultis meis munda

me: & ab alienis parce seruo tuo.
Si mei non fuerint dominati, tunc immacula-
tus ero, & emundabor à delicto maximo.
Et erunt vt cõplaceant eloquia oris mei, & me-
ditatio cordis mei in conspectu tuo semper.
Domine adiutor meus, & redemptor meus.
Gloria patri, & filio, & spiritui. Sicut erat. añ.
Sicut myrrha electa odorem dedisti suauitatis
sancta dei genitrix. añ. Ante thorum. Psalmus.

Domini est terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuersi qui habitãt in eo.
Quia ipse super maria fundauit eum: & super flumina præparauit eum.
Quis ascendet in montem domini? aut quis sta-
bit in loco sancto eius?
Innocens manibus & mũdo corde, qui non ac-
cepit in vano animam suam, nec iurauit in do-
lo proximo suo:
Hic accipiet benedictionem à domino, & mise-
ricordiam à deo salutari suo.
Hæc est generatio quærentium eum, quæren-
tium faciem dei Iacob.
Attollite portas principes vestras, & eleuamini
portæ æternales: & introibit rex gloriæ.
Quis est iste rex gloriæ? dominus fortis & po-
tens: dominus potens in prælio.
Attollite portas principes vestras, & eleuamini
portæ æternales: & introibit rex gloriæ.
Quis est iste rex glorię? dominus virtutum ipse
est rex gloriæ.
Gloria patri, & filio, & spiritui sancto. Sicut e-
rat. añ. Ante thorum huius virginis frequenta-
te nobis dulcia cãtica dragmatis. ℣. Diffusa est

gratia in labijs tuis.℟. Propterea benedixit te deus in æternum.Pater noster.Et ne nos.Abso lutio.P recibus & meritis bea.vt sequitur post.

¶Tres hi psalmi sequentes dicũtur die Martis, & die Veneris ad matutinum.añ.Specie tua.ps̃.

E Ructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.

L ingua mea calamus scribæ velociter scribentis.

S peciosus forma præ filijs hominum : diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te deus in æternum.

A ccingere gladio tuo super femur tuũ, potentissime.

S pecie tua & pulchritudine tua intẽde prospere;procede & regna,

P ropter veritatem & mansuetudinem & iustitiam:& deducet te mirabiliter dextera tua.

S agittæ tuę acutæ,populi sub te cadent in corda inimicorum regis.

S edes tua deus in seculũ seculi: virga directionis,virga regni tui.

Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem : propterea vnxit te deus deus tuus oleò lætitiæ prę consortibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cassia à vestimentis tuis,à domibus eburneis : ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.

Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato,circúndata varietate.

A udi filia,& vide,& inclina aurem tuã:& obliuiscere populum tuum,& domum patris tui.

E t concupiscet rex decôrem tuum,quoniã ipse

est dominus deus tuus:& adorabunt eum.
Et filiæ Tyri in muneribus: vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.
Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.
Adducentur regi virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi.
Afferentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum regis.
Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram.
Memores erunt nominis tui domine, in omni generatione & generationem.
Propterea populi confitebuntur tibi in æternũ & in seculum seculi.
Gloria patri. Sicut erat in principio. añ. Specie tua, & pulchritudine tua intende prospere procede,& regna. añ. Adiuuabit eam. Psalmus.
DEus noster refugium & virtus: adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis.
Propterea nõ timebimus dum turbabitur terra,& transferentur montes in cor maris.
Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum: conturbati sunt montes in fortitudine eius.
Fluminis impetus lætificat ciuitatem dei: sanctificauit tabernaculum suum altissimus.
Deus in medio eius non commouebitur: adiuuabit eam deus mane diluculo.
Conturbatę sunt gẽtes & inclinata sunt regna: dedit vocem suam,mota est terra.
Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster deus Iacob.

Venite, & videte opera domini quę posuit prodigia super terram,
Auferens bella vsq; ad finem terræ: arcum conteret & cōfringet arma, & scuta comburet igni.
Vacate & videte quoniam ego sum deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.
Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster deus Iacób.
Gloria patri. Sicut erat in principio. añ. Adiuuabit eam deus vultu suo, deus in medio eius non commouebitur. añ. Sicut lætantium. ps.

Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit dominus portas Siòn super omnia tabernacula Iacób.
Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas dei.
Memor ero Raab & Babylonis scientium me.
Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus AEthiopum: hi fuerunt illic.
Nunquid Siòn dicet, homo, & homo natus est in ea: & ipse fundauit eam altissimus?
Dominus narrabit in scripturis populorum & principum: horum qui fuerunt in ea.
Sicut lætantium omnium: habitatio est in te.
Gloria patri, & filio, & spiritui sancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen. añ. Sicut lætantiũ omnium nostrum, habitatio est in te sancta dei genitrix. ℣. Diffusa est gratia in labijs tuis. ℞. Propterea benedixit te deus in æternum. Pater noster. Et ne. Absolutio. Precibus & meritis. vt sequitur post. ¶ Tres hi psalmi sequentes dicuntur die Mercurij, & die Sabbati ad matutinum.
añ. Gaude Maria. Psalmus.

CAntate domino canticum nouum: cantate domino omnis terra.

Cantate domino & benedicite nomini eius: annunciate de die in diem salutare eius.

Annunciate inter gentes gloriam eius: in omnibus populis mirabilia eius.

Quoniã magnus dominus & laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dij gentium, dęmonia: dominus autem cælos fecit.

Confessio & pulchritudo in cõspectu eius: sanctimonia & magnificẽtia in sanctificatione ei9.

Afferte domino patriæ gentiũ, afferte domino gloriã & honorẽ: afferte dño gloriã nomini eius.

Tollite hostias & introite in atria eius: adorate dominum in atrio sancto eius.

Commoueatur à facie eius vniuersa terra: dicite in gentibus quia dominus regnauit.

Etenim correxit orbem terrę qui non commouebitur: iudicabit populos in æquitate.

Lætentur cæli & exultet terra: commoueatur mare, & plenitudo eius: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabũt omnia ligna syluarum à facie domini: quia venit, quoniã venit iudicare terrã.

Iudicabit orbem terræ in æquitate: & populos in veritate sua.

Gloria patri. Sicut erat in principio. añ. Gaude Maria virgo, cũctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo. añ. Dignare me. Psalmus.

DOminus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ.

Nubes & caligo in circumitu eius: iusti

tia & iudicium correctio sedis eius.

Ignis ante ipsum præcedet: & inflammabit in circumitu inimicos eius.

Alluxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit,& cō mota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt à facie domini: à facie domini omnis terra.

Annunciauerunt cæli iustitiam eius:& viderūt omnes populi gloriam eius.

Confundantur omnes qui adorant sculptilia: & qui gloriantur in simulachris suis.

Adorate eum omnes angeli eius:audiuit,& læ= tata est Sión.

Et exultauerunt filiæ Iudæ,propter iudicia tua domine.

Quoniā tu dominus altissimus super omnem terram:nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis dominum odite malum: custodit dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est iusto:& rectis corde lætitia.

Lætamini iusti in domino: & confitemini me= moriæ sanctificationis eius.

Gloria patri,& filio,& spiritui sancto.

Sicut erat in principio,& nūc,& semper. añ. Di gnare me laudare te virgo sacrata,da mihi vir= tutē contra hostes tuos. añ. Angelus domini. p̄s

CAntate domino canticum nouum:quia mirabilia fecit.

Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.

Notum fecit dominus salutare suum:in cōspe= ctu gentium reuelauit iustitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israél.
Viderunt oẽs termini terræ salutare dei nostri.
Iubilate domino omnis terra: cantate, & exultate, & psallite.
Psallite domino ĩ cithara, in cithara & voce psalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.
Iubilate in conspectu regis domini: moueatur mare, & plenitudo eius: orbis terrarum, & qui habitant in eo.
Flumina plaudẽt manu, simul mõtes exultabũt à cõspectu domini: quoniã venit iudicare terrã.
Iudicabit orbem terrarum in iustitia: & populos in æquitate.
Gloria patri, & filio. Sicut erat ĩ principio. añ. Angelus domini nunciauit Mariæ, & concepit de spiritu sancto. ℣. Diffusa est gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te deus in æternũ. Pater noster. Et ne nos. Sed libera. Absolutio.

PRecibus & meritis beatæ Mariæ semper virginis, & omniũ sanctorum perducat nos dominus ad regna cælorũ. ℟. Amen. ℣. Iube dñe benedicere. Bñdictio. Nos cũ prole pia benedicat virgo María. ℟. Amen. Lectio. j.

MIssus est angelus Gabriél à deo in ciuitatem Galilææ cui nomen Nazaret, ad virginem despõsatam viro cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid: & nomen virginis Maria. Et ingressus angelus, ad eam dixit. Aue gratia plena, dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Tu autem domine miserere nostri. ℟. Deo gratias. ℟. Missus est Gabriél angelus ad Mariam virginem desponsatam Ioséph, nun-

NON PLVS

cians ei verbum,& expauescit virgo de lumine, ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud dominum. Ecce concipies,& paries filium,& vocabitur altissimi filius. ℣. Dabit ei dominus deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacòb in æternum. Ecce concipies. ℣. Iube domine benedicere. Bñdictio. Beatæ Mariæ intercessio, fiat peccatorũ nostrorũ remissio. Amẽ. Lctõ.ij.

QVę cum audisset, turbata est in sermone eius: & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait ãgelus ei. Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud deum. Ecce concipies in vtero & paries filium: vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus: & filius altissimi vocabitur. Et dabit illi dominus deus sedẽ Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacòb in æternum, & regni eius non erit finis. Tu autem domine miserere nostri. ℟. Deo gratias. ℟. Aue Maria gratia plena dominus tecum. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius dei. ℣. Quomodo fiet istud: quoniam virum non cognosco? & respondens angelus dixit ei, Spiritus sanctus superueniet. ℣. Iube domine benedicere. Benedictio. Per virginem matrem cõcedat nobis dominus salutem & pacem. ℟. Amen. Lectio.iij.

DIxit autem Maria ad angelum. Quomodo fiet istud: quoniam virũ non cognosco? Et respondens angelus, dixit ei, Spiritus sanctus superueniet in te: & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; & quod nascetur ex te, sanctum, vocabitur filius dei. Et ecce

Elizabet cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua. Et hic menſis, ſextus eſt illi quæ vocatur ſterilis: quia non erit impoſſibile apud deum omne verbum. Dixit autem Maria. Ecce ancilla domini: fiat mihi ſecũdum verbum tuũ. Tu autem domine miſerere noſtri. ℟. Deo gratias. ℟. Suſcipe verbum virgo Maria, quod tibi à domino per angelum tranſmiſſum eſt, concipies deum pariter, & hominem, Vt benedicta dicaris inter omnes mulieres. ℣. Paries quidem filium, & virginitatis non patieris detrimentũ. efficieris grauida, & eris mater ſemper intacta. Vt benedicta dica. Gloria patri. Vt benedicta.

Canticum ſanctorum Ambroſij & Auguſtini.

TE deum laudamus, te dominum confitemur.

Te æternum patrem omnis terra veneratur.

Tibi oẽs angeli, tibi cęli, & vniuerſę poteſtates,

Tibi cherubim, & ſeraphim, ĩceſſabili voce proclamant

Sanctus.

Sanctus.

Sanctus dominus deus ſabaóth.

Pleni ſunt cæli, & terra, maieſtatis gloriæ tuæ.

Te glorioſus apoſtolorum chorus,

Te prophetarum laudabilis numerus,

Te martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarũ ſancta cõfitetur eccleſia,

Patrem immenſæ maieſtatis,

Venerandum tuum verum, & vnicum filium,

Sanctum quoq; paracletum ſpiritum.

Tu rex gloriæ Chriſte.

Tu patris sempiternus es filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti virginis vterum.
Tu deuicto mortis aculeo, aperuisti credētibus regna cælorum.
Tu ad dexteram dei sedes in gloria patris.
Iudex crederis esse venturus.
Te ergo quæsimus famulis tuis subueni, quos precioso sanguine redemisti.
AEterna fac cū sanctis tuis in gloria numerari.
Saluum fac populum tuum domine, & benedic hæreditati tuæ.
Et rege eos,& extolle illos,vsq; in æternum.
Per singulos dies benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in seculum,& in seculum seculi.
Dignare dñe die isto sine peccato nos custodire.
Miserere nostri domine,miserere nostri.
Fiat misericordia tua domine super nos,quem admodum sperauimus in te.
In te domine speraui, non confundar in æternum. ℂ Ad laudes Versus.

DEus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me festina. Gloria patri,& filio,& spiritui sancto. Sicut erat. Alleluia. añ. Missus est. Psalmus.

DOminus regnauit,decôrem indutus est: indutus est dominus fortitudinem, & præcinxit se.
Etenim firmauit orbem terræ:qui non commouebitur.
Parata sedes tua deus ex tunc:à seculo tu es.
Eleuauerunt flumina domine: eleuauerunt flu

mina vocem suam.
Eleuauerunt flumina fluctus suos: à vocibus aquarum multarum.
Mirabiles elationes maris: mirabilis in altis dominus.
Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitudo domine in longitudinem dierum.
Gloria patri, & filio. Sicut erat. añ. Missus est Gabriel angelus ad Mariam virginem desponsatam Ioseph. añ. Aue Maria. Psalmus.
IVbilate deo omnis terra: seruite domino in lætitia.
Introite in conspectu eius in exultatione.
Scitote quoniam dominus ipse est deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos.
Populus eius & oues pascuæ eius introite portas eius in confessione: atria eius in hymnis confitemini illi.
Laudate nomen eius, quoniam suauis est dominus: in æternum misericordia eius, & vsque in generatione & generationem veritas eius.
Gloria patri, & filio. Sicut erat. añ. Aue Maria gratia plena, dominus tecū: benedicta tu in mulieribus. añ. Ne timeas Maria. Psalmus.
DEus deus meus, ad te de luce vigilo.
Sitiuit in te anima mea: quàm multipliciter tibi caro mea
In terra deserta inuia & inaquosa. sic in sancto apparui tibi: vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.
Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea:& in nomine tuo leuabo manus meas.
Sicut adipe & pĩguedine repleatur anima mea: & labijs exultationis laudabit os meum.
Sic memor fui tui ſuper ſtratum meũ:in matutinis meditabor in te, quia fuiſti adiutor meus.
Et in velamento alarum tuarũ exultabo, adhæſit anima mea poſt te:me ſuſcepit dextera tua.
Ipſi vero inuanum quæſierũt animam meam, introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladij,partes vulpium erunt.
Rex vero lætabitur in deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo:quia obſtructum eſt os loquentium iniqua. Pſalmus.

Deus miſereatur noſtri,& benedicat nobis,illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri:
Vt cognoſcamus in terra viam tuam,in omnibus gentibus ſalutare tuum.
Confiteantur tibi populi deus,confiteantur tibi populi omnes.
Lætentur & exultent gentes: quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.
Confiteantur tibi populi deus,confiteantur tibi populi omnes:terra dedit fructum ſuum.
Benedicat nos deus deus noſter, benedicat nos deus:& metuant eum omnes fines terræ.
Gloria pr̃i. añ.Ne timeas Maria,inueniſti gratiã apud dominũ,ecce cõcipies,& paries filiũ,alleluia. añ. Dabit ei dñs. Canticũ triũ puerorũ.

Benedicite omnia opera domini domino. laudate,& ſuperexaltate eum in ſecula.
Benedicite angeli domini domino.bene-

dicite cæli domino.

Benedicite aquæ oẽs, quæ super cælos sunt domino. benedicite omnes virtutes domini dño.

Benedicite sol, & luna domino. benedicite stellæ cæli domino.

Benedicite imber, & ros domino. benedicite omnis spiritus dei domino.

Benedicite ignis, & æstus domino. benedicite frigus, & æstas domino.

Benedicite rores, & pruina domino. benedicite gelu, & frigus domino.

Benedicite glacies, & niues domino. benedicite noctes, & dies domino.

Benedicite lux, & tenebræ domino. benedicite fulgura, & nubes domino.

Benedicat terra dominum: laudet, & superexaltet eum in secula.

Benedicite montes, & colles domino. benedicite vniuersa germinantia in terra domino.

Benedicite fontes domino. benedicite maria, & flumina domino.

Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis dño. benedicite omnes volucres cæli dño.

Benedicite omnes bestiæ, & pecora domino. benedicite filij hominum domino.

Benedicat Israël dominum: laudet, & superexaltet eum in secula.

Benedicite sacerdotes domini domino. benedicite serui domini domino.

Benedicite spiritus, & animæ iustorum domino. benedicite sancti, & humiles corde domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misaël domino: laudate, & superexaltate eum in secula.

Benedicamus patrem,& filium cum sancto spiritu:laudemus, & superexaltemus eũ in secula.

Benedictus es dñe in firmamẽto cæli,& laudabilis,& gloriosus,& superexaltatus ĩ secula. añ. Dabit ei dominus deus sedẽ Dauid patris eius, & regnabit in æternũ. añ. Ecce ancilla. Psalmus.

Laudate dominum de cælis:laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes angeli eius:laudate eum omnes virtutes eius.

Laudate eum sol, & luna: laudate eum omnes stellæ,& lumen.

Laudate eum cæli cælorum:& aquæ quæ super cælos sunt,laudent nomen domini.

Quia ipse dixit,& facta sunt:ipse mandauit,& creata sunt.

Statuit ea in æternũ,& in seculum seculi: præceptum posuit,& non præteribit.

Laudate dominum de terra: dracones, & omnes abyssi,

Ignis,grãdo,nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius.

Montes & omnes colles:ligna fructifera & omnes cedri.

Bestiæ,& vniuersa pecora, serpẽtes,& volucres pennatæ.

Reges terræ,& omnes populi:principes,& omnes iudices terræ:

Iuuenes,& virgines, senes cum iunioribus laudent nomen domini:quia exaltatum est nomen eius solius.

Confessio eius super cælum & terram:& exaltauit cornu populi sui.

Hymnus omnibus ſanctis eius filijs Iſraël populo appropinquanti ſibi. Pſalmus.

CAntate domino canticum nouum : laus eius in eccleſia ſanctorum.

Lætetur Iſraël in eo qui fecit eum:& filiæ Siòn exultent in rege ſuo.

Laudent nomen eius in choro : in tympano & pſalterio pſallant ei.

Quia beneplacitum eſt domino in populo ſuo: & exaltauit manſuetos in ſalutem.

Exultabunt ſancti in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis.

Exultationes dei in gutture eorum,& gladij ancipites in manibus eorum:

Ad faciendam vindictam in nationibus,increpationes in populis:

Ad alligandos reges eorum in compedibus,& nobiles eorum in manicis ferreis:

Vt faciant in eis iudicium conſcriptum: gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius. Pſalmus.

LAudate dominum in ſanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.

Laudate eum in virtutibus eius:laudate eum ſecũdum multitudinẽ magnitudinis eius.

Laudate eum in ſono tubæ:laudate eũ in pſalterio & cithara.

Laudate eum in tympano & choro:laudate eũ in chordis & organo.

Laudate eum in cymbalis beneſonantibus,laudate eum in cymbalis iubilationis:omnis ſpiritus laudet dominum.

Gloria patri,& filio,& ſpiritui ſancto.

Sicut erat in principio,& nunc,& ſemper,& in

ſecula ſeculorũ. Amen. añ. Ecce ancilla domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Capitulum

EGredietur virga de radice Ieſſæ, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus domini. Deo grãs. hy⁹

OGlorioſa domina, excelſa ſupra ſydera: qui te creauit prouide, lactaſti ſacro vbere.

Quod Eua triſtis abſtulit, tu reddis almo germine. intrẽt vt aſtra flebiles, cæli feneſtra facta es.

Tu regis alti ianua, & porta lucis fulgida. vitam datam per virginem, gẽtes redemptæ plaudite.

Gloria tibi domine, qui natus es de virgine, cũ patre & ſancto ſpiritu in ſempiterna ſecula. Amen. ℣. Benedicta tu in mulieribus. ℟. Et benedictus fructus ventris tui. añ. Spiritus ſanctus.

Canticum Zachariæ.

BEnedictus dominus deus Iſraël: quia viſitauit, & fecit redemptionẽ plebis ſuæ.

Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui,

Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſeculo ſunt prophetarum eius,

Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos,

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti,

Iuſiurandum quod iurauit ad Abrahàm patrẽ noſtrum, daturum ſe nobis

Vt ſine timore, de manu inimicorũ noſtrorum liberati, ſeruiamus illi

In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.

Et tu puer, propheta altissimi vocaberis: praeibis enim ante faciem domini parare vias eius,
Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum
Per viscera misericordię dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto
Illuminare ijs qui in tenebris, & in vmbra mortis sedēt, ad dirigēdos pedes nostros in viā pacis.
Gloria patri, Sicut erat. añ. Spiritus sanctus in te descendet Maria, ne timeas, habebis in vtero filiū dei, alleluia. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison, ℣. Domine exaudi orationē meā.
℟. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

Deus qui de beatę Mariæ virginis vtero verbum tuū angelo nunciante carnē suscipere voluisti, præsta supplicib9 tuis, vt qui vere eam dei genitricem credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur, Per Christum dominum nostrum. ℟. Amen. añ. Ecce dominus veniet, & omnes sancti eius cum eo, & erit in die illa lux magna, alleluia. ℣. Ecce apparebit dominus super nubem candidam. ℟. Et cum eo sanctorum millia. Oratio.

Conscientias nostras quæsimus domine visitando purifica, vt veniēs Iesus Christus filius tuus dominus noster cū omnibus sanctis, paratā sibi in nobis inueniat mā sionē. Qui tecū viuit, & regnat in vnitate spiritus sancti de9, Per omnia secula seculorū. Amē. Domine exaudi orationē meā. Et clamor meus ad te veniat. Benedicamus dño. Deo gratias. Fideliū animæ defunctorū per misericordiā dei requiescant in pace. Amen. ¶ Ad primā Versus.

DEus in adiutorium meum intende. ℟.
D omine ad adiuuandum me feſtina.
G loria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.
Sicut erat in principio &c. Alleluia. Hymnus.

MEmẽto ſalutis autor, quòd noſtri quondam corporis, ex illibata virgine naſcendo formam ſumpſeris.
M aria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.
G loria tibi domine, qui natus es de virgine, cũ patre & ſancto ſpiritu, in ſempiterna ſecula. Amen. añ. Miſſus eſt. Pſalmus.

DEus in nomine tuo ſaluum me fac: & in virtute tua iudica me.
D eus exaudi orationem meam, auribꝰ percipe verba oris mei:
Q uoniam alieni inſurrexerunt aduerſum me, & fortes quæſierunt animam meã: & non propoſuerunt deum ante conſpectum ſuum.
E cce enim deus adiuuat me: & dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.
A duerte mala inimicis meis: & in veritate tua diſperde illos.
V oluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo domine: quoniam bonum eſt.
Q uoniam ex omni tribulatione eripuiſti me: & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.
G loria patri, & filio. S icut erat in principio. p̃s.

BEnedixiſti domine terram tuam: auertiſti captiuitatem Iacob.
R emiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum.
M itigaſti omnem iram tuam: auertiſti ab ira

indignationis tuæ.
Conuerte nos deus ſalutaris noſter:& auerte iram tuam à nobis.
Nunquid in æternũ iraſcêris nobis: aut extendes iram tuam à generatione in generationem?
Deus tu conuerſus viuificabis nos:& plebs tua lætabitur in te.
Oſtende nobis domine miſericordiam tuam:& ſalutare tuum da nobis.
Audiam quid loquatur in me dominus deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam,
Et ſuper ſanctos ſuos,& in eos qui conuertuntur ad cor.
Veruntamen prope timẽtes eum ſalutare ipſius: vt inhabitet gloria in terra noſtra.
Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi: iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.
Veritas de terra orta eſt:& iuſtitia de cælo proſpexit.
Etenim dominus dabit benignitatem: & terra noſtra dabit fructum ſuum.
Iuſtitia ante eum ambulabit: & ponet in via greſſus ſuos.
Gloria patri. Sicut erat in principio. Pſalmus.
LAudate dominum omnes gentes,laudate eum omnes populi.
Quoniã confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius:& veritas domini manet in æternũ.
Gloria patri. añ. Miſſus eſt Gabriêl angelus ad Mariam virginẽ deſponſatã Ioſéph. Capitulũ.
ECce virgo cõcipiet, & pariet filiũ,& vôcabitur nomẽ eius Emmanuél, butyrũ & mel comedet, vt ſciat reprobare ma-

lum,& eligere bonũ. ℟. Deo gratias. ℣. Dignare me laudare te virgo ſacrata. ℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. ℣. Dñe exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

Deus qui de beatę Mariæ virginis vtero verbum tuũ angelo nunciante carnem ſuſcipere voluiſti, præſta ſupplicibus tuis, vt qui vere eam dei genitricem credimus, eius apud te interceſſionibus adiuuemur, Per Chriſtum dominum noſtrum. ℟. Amen. añ. Ecce dominus veniet,& omnes ſancti ei⁹ cum eo, & erit in die illa lux magna, alleluia. ℣. Ecce apparebit dominus ſuper nubem candidam. ℟. Et cum eo ſanctorum millia. Oratio.

Conſcientias noſtras quæſimus domine viſitando purifica, vt veniẽs Ieſus Chriſtus filius tuus dominus noſter cũ omnibus ſanctis, paratã ſibi in nobis inueniat mãſionẽ. Qui tecũ viuit,& regnat in vnitate ſpiritus ſancti de⁹, Per omnia ſecula ſeculorũ. Amẽ. Domine exaudi orationẽ meã. Et clamor meus ad te veniat. Benedicamus dño. Deo gratias. Fideliũ animę defunctorũ per miſericordiã dei requieſcant in pace. Amen. ¶Ad tertiam Verſus.

Deus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria patri,& filio, & ſpiritui ſancto. Sicut erat in principio. &c. Alleluia. Hymnus.

Memẽto ſalutis autor, quòd noſtri quondam corporis, ex illibata virgine, naſcendo formam ſumpſeris.

Maria mater gratię, mater miſericordię, tu nos

ab hoste prótege,& hora mortis suscipe.
Gloria tibi domine,qui natus es de virgine, cũ patre & sancto spiritu,in sempiterna secula.Amen.,añ.Aue Maria. Psalmus.

AD dominum cum tribularer clamaui:& exaudiuit me.
Domine libera animam meam à labijs iniquis,& à lingua dolosa.
Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?
Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus desolatorijs.
Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est: habitaui cum habitantibus Cedár, multum incola fuit anima mea.
Cum his qui oderũt pacem, eram pacificus:cũ loquebar illis impugnabant me gratis.
Gloria patri, Sicut erat in principio.Psalmus.

LEuaui oculos meos in montes : vnde veniet auxilium mihi.
Auxilium meum à domino:qui fecit cælum & terram.
Non det in commotionem pedem tuum: neq; dormitet qui custodit te.
Ecce non dormitabit neque dormiet qui custo dit Israél.
Dominus custodit te , dominus protectio tua super manum dexteram tuam.
Per diem sol non vret te:neq; luna per noctem.
Dominus custodit te ab omni malo : custodiat animam tuam dominus.
Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum ex hoc nunc & vsque in seculum.

Gloria patri. Sicut erat in principio. Pſalmus.

LAEtatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum domini ibimus.

Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Hieruſalém.

Hieruſalē quæ ædificatur vt ciuitas: cuius participatio eius in idipſum.

Illuc enim aſcenderūt tribus, tribus domini: teſtimonium Iſraël ad cōfitendū nomini domini.

Quia illic ſederunt ſedes in iudicio: ſedes ſuper domum Dauid.

Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalém: & abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te.

Propter domum domini dei noſtri, quæſiui bona tibi.

Gloria patri. añ. Aue Maria gratia plena dñs tecum, benedicta tu in mulieribus. Capitulum.

EGredietur virga de radice Ieſſæ, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus domini. ℟. Deo grãs.
℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te deus in æternū. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. ℣. Domine exaudi orationē meā. ℟. Et clamor meus ad te veniat. orõ

DEus qui de beatę Mariæ virginis vtero verbū tuum angelo nunciante carnem ſuſcipere voluiſti, præſta ſupplicibus tuis, vt qui vere eam dei genitricem credimus, eius apud te interceſſionibus adiuuemur, Per

Chriſtum dominum noſtrum. ℞ Amen. añ Ecce dominus veniet, & omnes ſancti ei⁹ cum eo, & erit in die illa lux magna, alleluia. ℣ Ecce apparebit dominus ſuper nubem candidam. ℞. Et cum eo ſanctorum millia. Oratio.

CONſcientias noſtras quæſimus domine viſitando purifica, vt veniẽs Ieſus Chriſtus filius tuus dominus noſter cũ omnibus ſanctis, paratã ſibi in nobis inueniat mãſionẽ. Qui tecũ viuit, & regnat in vnitate ſpiritus ſancti de⁹, Per omnia ſecula ſeculorũ. Amẽ. Domine exaudi orationẽ meã. Et clamor meus ad te veniat. Benedicamus dño. Deo gratias. Fidelium animę defunctorũ per miſericordiã dei requieſcãt in pace. Amen. ℭ Ad ſextam Verſus.

DEus in adiutorium meum intende. ℞. Domine ad adiuuandum me feſtina.
Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen. Alleluia. Hymnus.

MEmẽto ſalutis autor, quòd noſtri quondam corporis, ex illibata virgine, naſcendo formam ſumpſeris.
Maria mater gratię, mater miſericordię, tu nos ab hoſte prótege, & hora mortis ſuſcipe.
Gloria tibi domine, qui natus es de virgine, cũ patre & ſancto ſpiritu, in ſempiterna ſecula. Amen. añ. Ne timeas Maria. Pſalmus.

AD te leuaui oculos meos: qui habitas in cælis.
Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum,
Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuę: ita

oculi noſtri ad dominum deum noſtrum donec miſereatur noſtri.

Miſerere noſtri domine, miſerere noſtri: quia multum repleti ſumus deſpectione.

Quia multum repleta eſt anima noſtra: opprobrium abundantibus & deſpectio ſuperbis.

Gloria patri. Sicut erat in principio. Pſalmus.

NIſi quia dominus erat ĩ nobis, dicat nũc Iſraël, niſi quia dominus erat in nobis,

Cum exurgerent homines in nos: forte viuos deglutiſſent nos.

Cum iraſceretur furor eorum in nos: forſitan aqua abſorbuiſſet nos:

Torrentem pertranſiuit anima noſtra: forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquã intolerabilem.

Benedictus dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.

Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.

Adiutorium noſtrum in nomine domini, qui fecit cælum & terram.

Gloria patri. Sicut erat in principio. Pſalmus.

QVi confidũt in domino ſicut mons Siõn: non cõmouebitur in æternum qui habitat in Hieruſalém.

Montes in circumitu eius, & dominus in circumitu populi ſui: ex hoc nunc & vſque in ſeculum.

Quia non relinquet dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum: vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.

Benefac domine bonis & rectis corde.

Declinantes autem in obligationes adducet dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israél.
Gloria patri, & filio, & spiritui sancto.
Sicut erat in principio. &c. añ. Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud dominum, ecce concipies, & paries filium, alleluia. Capitulum.

DAbit ei dominus deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacòb in ęternum, & regni eius non erit finis. ℟. Deo gratias. ℣. Benedicta tu in mulieribus. ℟. Et benedictus fructus vẽtris tui. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. ℣. Dñe exaudi orationẽ meã. ℟. Et clamor meꝰ ad te veniat. orõ

DEus qui de beatæ Mariæ virginis vtero verbum tuum angelo nunciãte carnem suscipere voluisti, præsta supplicibus tuis, vt qui vere eam dei genitricem credimus, eiꝰ apud te intercessionibus adiuuemur, Per Christum dominum nostrum. ℟. Amen. añ. Ecce dominus veniet, & omnes sancti eius cum eo, & erit in die illa lux magna, alleluia. ℣. Ecce apparebit dominus super nubem candidam. ℟. Et cum eo sanctorum millia. Oratio.

COnscientias nostras quæsimus domine visitando purifica, vt veniẽs Iesus Christus filius tuus dominus noster cũ omnibus sanctis, paratã sibi in nobis inueniat mãsionem. Qui tecum viuit, & regnat in vnitate spiritus sancti deus, Per omnia secula seculorũ. Amen. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Benedicamus domino. Deo gratias. Fidelium animæ defunctorum

per misericordiã dei requiescant in pace. Amẽ.

℄ Ad nonam Versus.

DEus in adiutorium meum intende. ℟.
Domine ad adiuuandum me festina.
Gloria patri, & filio, & spiritui sancto.
Sicut erat in principio. &c. Alleluia. Hymnus.

MEmẽto salutis autor, quòd nostri quondam corporis, ex illibata virgine, nascendo formam sumpseris.

Maria mater gratię, mater misericordię, tu nos ab hoste prótege, & hora mortis suscipe.

Gloria tibi domine, qui natus es de virgine, cũ patre & sancto spiritu, in sempiterna secula. Amen. añ. Ecce ancilla. Psalmus.

IN conuertendo dominus captiuitatẽ Sión: facti sumus sicut consolati.

Tũc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes, magnificauit dominus facere cum eis.

Magnificauit dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

Conuertere domine captiuitatem nostram sicut torrens in austro.

Qui seminant in lachrymis: in exultatione metent.

Euntes ibant & flebant: mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Gloria patri. Sicut erat in principio. Psalmus.

NIsi dominus ædificauerit domũ: in vanum laborauerunt qui ædificant eam.
Nisi dominus custodierit ciuitatẽ: fru

ſtra vigilat qui cuſtodit eam.
Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.
Cum dederit dilectis ſuis ſomnum: ecce hæreditas domini, filij, merces fructus ventris.
Sicut ſagittæ in manu potentis: ita filij excuſſorum.
Beatus vir qui impleuit deſyderium ſuum ex ipſis: non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta.
Gloria patri. Sicut erat in principio. Pſalmus.
BEati omnes qui timent dominũ, qui ambulant in vijs eius.
Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.
Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.
Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circumitu menſæ tuæ.
Ecce ſic benedicetur homo, qui timet dominũ.
Benedicat tibi dominus ex Sión: & videas bona Hieruſalém omnibus diebus vitæ tuæ.
Et videas filios filiorum tuorum: pacem ſuper Iſraél.
Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorũ. Amen. añ. Ecce ancilla domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Capitulum
ECce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomẽ eius Emmanuél, butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonũ. ℟. Deo gratias. ℣. Poſt

partum virgo inuiolata permãſiſti. ℟. Dei genitrix intercede pro nobis. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. ℣. Dñe exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

DEus qui de beatę Mariæ virginis vtero verbũ tuum angelo nunciante carnem ſuſcipere voluiſti, præſta ſupplicibus tuis, vt qui vere eam dei genitricem credimus, eius apud te interceſſionibus adiuuemur, Per Chriſtum dominum noſtrum. ℟. Amen. añ. Ecce dominus veniet, & omnes ſancti ei⁹ cum eo, & erit in die illa lux magna, alleluia. ℣. Ecce apparebit dominus ſuper nubem candidam. ℟. Et cum eo ſanctorum millia. Oratio.

COnſcientias noſtras quæſimus domine viſitando purifica, vt veniẽs Ieſus Chriſtus filius tuus dominus noſter cũ omnibus ſanctis, paratã ſibi in nobis inueniat mãſionẽ. Qui tecũ viuit, & regnat in vnitate ſpiritus ſancti de⁹, Per omnia ſecula ſeculorũ. Amẽ. Domine exaudi orationẽ meã. Et clamor meus ad te veniat. Benedicamus dño. Deo gratias. Fideliũ animę defunctorũ per miſericordiã dei requieſcãt in pace. Amen. ℭ Ad veſperas Verſus.

DEus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorũ. Amẽ. Alleluia. añ. Miſſus eſt. ps.

DIxit dominus domino meo, ſede à dextris meis:

Donec ponam inimicos tuos ſcabellũ pedum tuorum.

V irgã virtutis tuæ emittet dominus ex Sión: dominare in medio inimicorum tuorum.
T ecum principium in die virtutis tuæ in ſplen doribus ſanctorum: ex vtero ante luciferum ge nui te.
I urauit dominus, & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Mel=chiſedech.
D ominus à dextris tuis:cõfregit in die iræ ſuæ reges.
I udicabit in nationibus, implebit ruinas: con=quaſſabit capita in terra multorum.
D e torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.
G loria patri,& filio. Sicut erat in principio. añ. Miſſus eſt Gabriél angelus ad Mariam virginẽ deſponſatam Ioſéph. añ. Aue Maria. Pſalmus.
L Audate pueri dominum: laudate nomẽ domini.
S it nomen domini benedictum: ex hoc nunc & vſque in ſeculum.
A ſolis ortu vſq; ad occaſum: laudabile nomen domini.
E xcelſus ſuper omnes gentes dominus: & ſu=per cælos gloria eius.
Quis ſicut dominus deus noſter qui in altis ha=bitat:& humiliat reſpicit in cælo & in terra?
S uſcitans à terra inopem,& de ſtercore erigens pauperem:
V t collocet eum cum principibus, cum princi=pibus populi ſui.
Qui habitare facit ſterilem in domo: matrem fi liorum lætantem.

Gloria patri. Sicut erat. añ. Aue Maria gratia plena, dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, alleluia. añ. Ne timeas Maria. Psalmus.

LAEtatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalém.

Hierusalẽ quæ ædificatur vt ciuitas: cuius participatio eius in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus domini: testimonium Israël ad confitendum nomini domini.

Quia illic sederunt sedes in iudicio: sedes super domum Dauid.

Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalém: & abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te.

Propter domum domini dei nostri, quæsiui bona tibi.

Gloria patri, & filio, & spiritui sancto.

Sicut erat. añ. Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud dominum, ecce concipies & paries filium, alleluia. añ. Dabit ei dominus. Psalmus.

NIsi dominus ędificauerit domum: in vanum laborauerunt qui ædificant eam.

Nisi dominus custodierit ciuitatẽ: frustra vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postq̃ sederitis qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum: ecce hære-

ditas domini,filij,merces fructus ventris.
Sicut ſagittæ in manu potentis: ita filij excuſſorum.
Beatus vir qui impleuit deſyderium ſuum ex ipſis : non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta.
Gloria patri. Sicut erat in principio.añ.Dabit ei dominus deus ſedem Dauid patris eius,& regnabit in æternum. añ. Ecce ancilla. Pſalmus.
LAuda Hieruſalém dominum:lauda deũ tuum Sión.
Quoniam cõfortauit ſeras portarũ tuarum:benedixit filijs tuis in te.
Qui poſuit fines tuos pacem:& adipe frumenti ſatiat te.
Qui emittit eloquium ſuũ terræ:velociter currit ſermo eius.
Qui dat niuem ſicut lanam : nebulam ſicut cinerem ſpargit.
Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas: ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?
Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea:flabit ſpiritus eius,& fluent aquæ.
Qui annunciat verbum ſuum Iacób : iuſtitias & iudicia ſua Iſraél.
Non fecit taliter omni nationi : & iudicia ſua non manifeſtauit eis.
Gloria patri,& filio,& ſpiritui ſancto.
Sicut erat in principio. añ.Ecce ancilla domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.Capitulum
EGredietur virga de radice Ieſſæ,& flos de radice ei9 aſcẽdet,& requieſcet ſuper eũ ſpiritus domini.Deo grãs.Hymnus

AVe maris ſtella, dei mater alma, atque ſemper virgo,felix cæli porta,

Sumens illud aue, Gabrielis ore,funda nos in pace,mutans nomen Euæ.

Solue vincla reis,profer lumen cæcis,mala noſtra pelle,bona cuncta poſce.

Monſtra te eſſe matrem, ſumat per te preces, qui pro nobis natus,tulit eſſe tuus.

Virgo ſingularis,inter omnes mitis, nos culpis ſolutos,mites fac,& caſtos.

Vitam præſta puram, iter para tutum, vt videntes Ieſum,ſemper collætemur.

Sit laus deo patri ſummo,Chriſto decus, ſpiritui ſancto,tribus honor vnus. Amen. ℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te deus in æternum. añ. Spiritus ſanctus.

Canticum beatæ Mariæ virginis.

MAgnificat anima mea dominum.

Et exultauit ſpiritus meus in deo ſalutari meo,

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatã me dicẽt omnes generatiões,

Quia fecit mihi magna qui potens eſt : & ſanctum nomen eius.

Et miſericordia eius à progenie in progenies,timentibus eum.

Fecit potẽtiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potẽtes de ſede,& exaltauit humiles.

Eſurientes impleuit bonis : & diuites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus est ad patres nostros Abrahám, & semini eius in secula.

Gloria patri. Sicut erat. añ Spiritus sanctus in te descendet Maria: ne timeas, habebis in vtero filiũ dei, alleluia. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. ℣. Domine exaudi orationẽ meã. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

Deus qui de beatę Mariæ virginis vtero verbum tuũ angelo nunciante carnẽ suscipere voluisti, præsta supplicib⁹ tuis, vt qui vere eam dei genitricem credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur, Per Christum dominum nostrum. ℟. Amen. añ Ecce dominus veniet, & omnes sancti eius cum eo, & erit in die illa lux magna, alleluia. ℣. Ecce apparebit dominus super nubem candidam. ℟. Et cum eo sanctorum millia. Oratio.

Cõnscientias nostras quæsimus domine visitando purifica, vt veniẽs Iesus Christus filius tuus dominus noster cũ omnibus sanctis, paratã sibi in nobis inueniat mãsionẽ. Qui tecũ viuit, & regnat in vnitate spiritus sancti de⁹, Per omnia secula seculorũ. Amẽ. Domine exaudi orationẽ meã. Et clamor meus ad te veniat. Benedicamus dño. Deo gratias. Fideliũ animæ defunctorũ per misericordiã dei requiescãt in pace. Amẽ. ¶ Ad cõpletoriũ Versus.

Conuerte nos deus salutaris noster. ℟. Et auerte iram tuã à nobis. ℣. Deus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandũ me festina. Gloria patri, & filio, & spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nũc, & semper, & in secula seculorũ. Amen. Psalmus

SAEpe expugnauerũt me à iuuẽtute mea, dicat nunc Iſraél,

S æpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi.

S upra dorſum meum fabricauerũt peccatores: prolongauerunt iniquitatem ſuam.

D ominus iuſtus cõcidet ceruices peccatorum: confundantur & conuertantur retrorſum omnes qui oderunt Sión.

F iant ſicut fœnum tectorum,quod priuſquam euellatur exaruit:

D e quo nõ implebit manum ſuam qui metet: & ſinum ſuum qui manipulos colliget.

E t non dixerunt qui præteribant, benedictio domini ſuper vos: benediximus vobis in nomine domini.

G loria patri. S icut erat in principio. Pſalmus

DE profundis clamaui ad te domine: domine exaudi vocem meam.

F iant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

S i iniquitates obſeruaueris dñe : domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te domine.

S uſtinuit anima mea in verbo eius: ſperauit anima mea in domino.

A cuſtodia matutina vſque ad noctem ſperet Iſraél in domino.

Quia apud dominum miſericordia : & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſraél ex oĩbus iniquitatib⁹ ei⁹.

G loria patri. S icut erat in principio Pſalmus.

DOmine non eſt exaltatum cor meum: neque elati ſunt oculi mei.
Neque ambulaui in magnis: neque in mirabilibus ſuper me.
Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam:
Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea.
Speret Iſraël in domino, ex hoc nunc & vſque in ſeculum.
Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Hymnus.

MEmẽto ſalutis autor, quòd noſtri quondam corporis, ex illibata virgine naſcendo formam ſumpſeris.
Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte prótege, & hora mortis ſuſcipe.
Gloria tibi domine, qui natus es de virgine, cũ patre & ſancto ſpiritu, in ſempiterna ſecula. Amen.

Capitulum.

ECce virgo cõcipiet, & pariet filiũ, & vocabitur nomẽ eius Emmanuél, butyrũ & mel comedet, vt ſciat reprobare malũ, & eligere bonũ. ℟. Deo gratias. ℣. Angelus domini nũciauit Marię. ℟. Et cõcepit de ſpiritu ſancto. añ. Spiritus ſanctus. Cãticũ Simeonis.

NVnc dimittis ſeruum tuum domine, ſecundum verbum tuum, in pace.
Quia viderunt oculi mei ſalutare tuũ,
Quod paraſti ante faciem omniũ populorum,
Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraél.

Gloria patri. Sicut erat. añ. Spiritus sanctus in te descendet Maria : ne timeas, habebis in vtero filium dei, alleluia. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

DEus qui de beatę Mariæ virginis vtero verbũ tuum angelo nunciante carnem suscipere voluisti, præsta supplicibus tuis, vt qui vere eam dei genitricem credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur, Per Christum dominum nostrum. ℟. Amen. añ. Ecce dominus veniet, & omnes sancti ei⁹ cum eo, & erit in die illa lux magna, alleluia. ℣. Ecce apparebit dominus super nubem candidam. ℟. Et cum eo sanctorum millia. Oratio.

COnscientias nostras quæsimus domine visitando purifica, vt veniẽs Iesus Christus filius tuus dominus noster cũ omnibus sanctis, paratã sibi in nobis inueniat mãsionẽ. Qui tecum viuit, & regnat in vnitate spiritus sancti deus, Per omnia secula seculorum. Amen. Domine exaudi orationẽ meam. Et clamor meus ad te veniat. Benedicamus domino. Deo gratias. Fidelium animę defunctorum per misericordiam dei requiescant in pace. Amen.

¶ Et nota ꝙ aduẽtus dñi semper incipit à dñica proximiori festo sancti Andreæ siue sit ante, siue post. Et si die dñica dictũ festũ sancti Andreæ ceciderit, ibidem incipiẽdus est aduentus.

¶ Officiũ beatæ Mariæ virginis à vigilia natiuitatis dñi vsq; ad purificationẽ eiusdẽ beatæ Mariæ dicitur vt sequitur. ¶ Ad matutinũ Versus.

‡

Domine labia mea aperies. ℟. Et os meũ annunciabit laudem tuã.
℣. Deus in adiutoriũ meũ intẽde.
℟. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria patri,& filio,& ſpiritui ſancto. Sicut erat in principio,& nunc,& ſemper,& in ſecula ſeculorum. Amen. Alleluia. Et nota ꝙ ſi ſeptuageſima euenerit in hoc tempore,loco de Alleluia. dicetur Laus tibi domine rex æternæ gloriæ. Inuitatorium. Aue Maria gratia plena,Dominus tecum. Aue Maria gratia plena, Dominus tecum. Pſalmus.

Venite, exultemus dño, iubilemus deo ſalutari noſtro: præoccupemus faciem eius in confeſſione,& in pſalmis iubilemus ei. Aue Maria gratia plenaDominus tecũ.

Quoniam deus magnus dominus, & rex magnus ſuper omnes deos: quoniam non repellet dominus plebem ſuam,quia in manu eius ſunt omnes fines terræ,& altitudines montium ipſe conſpicit. Dominus tecum.

Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius. venite, adoremus,& procidamus ante deũ, ploremus coram domino qui fecit nos:quia ipſe eſt dominus de⁹ noſter,nos autem populus eius,& oues paſcuæ eius. Aue Maria gratia plena Dominus tecum.

Hodie ſi vocem eius audieritis,nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto,vbi tentauerũt me patres veſtri. probauerunt, & viderunt opera mea. Dominus tecum.

Quadraginta annis proximus fui generationi

huic,& dixi, ſemper hi errãt corde. ipſi vero nõ cognouerũt vias meas,quib9 iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiẽ meã. Aue Maria gratia. Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto. Sicut erat in principio,& nunc,& ſemper,& in ſecula ſeculorum. Amen. Dominus tecum. Aue Maria gratia plena dominus tecum. Hymnus.

QVem terra,pontus,æthera colunt,adorant,prædicant,trinam regentem machinam, clauſtrum Mariæ baiulat.
Cui luna,ſol,& omnia deſeruiũt per tempora, perfuſa cæli gratia geſtant puellæ viſcera.
Beata mater munere,cui9 ſupernus artifex,mũdũ pugillo cõtinens, vẽtris ſub arca clauſus eſt.
Beata cæli nuncio, fœcunda ſancto ſpiritu, deſyderatus gentibus, cuius per aluum fuſus eſt.
Gloria tibi domine,qui natus es de virgine, cũ patre,& ſancto ſpiritu in ſempiterna ſecula,Amen. ℂ Tres hi pſalmi ſequentes dicuntur ad matutinum die Dominico,die Lunæ,& die Iouis. añ. Benedicta tu. Pſalmus.

DOmine dominus noſter,quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra?
Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos.
Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos: vt deſtruas inimicum & vltorem.
Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum,lunam & ſtellas quæ tu fundaſti.
Quid eſt homo quòd memor es eius: aut filius hominis,quoniam viſitas eum?
Minuiſti eum paulominus ab angelis:gloria &

honore coronaſti eum,& conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.
Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius: oues & boues vniuerſas,inſuper & pecora campi,
Volucres cæli,& piſces maris,qui perambulant ſemitas maris.
Domine dominus noſter,quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra?
Gloria patri,& filio. Sicut erat in principio &c.
añ.Benedicta tu in mulieribus , & benedictus fructus ventris tui.añ.Sicut myrrha. Pſalmus.

CAEli enarrant gloriam dei:& opera manuum eius annunciat firmamentum.
Dies diei eructat verbum:& nox nocti indicat ſciêntiam.
Non ſunt loquelæ neq; ſermones quorum non audiantur voces eorum.
In omnem terram exiuit ſonus eorum,& in fines orbis terræ verba eorum.
In ſole poſuit tabernaculum ſuum:& ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo,
Exultauit vt gigas ad currendam viam:à ſummo cælo egreſſio eius.
Et occurſus eius vſq; ad ſummum eius: nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.
Lex domini immaculata,cõuertẽs animas:teſtimoniũ domini fidele,ſapiẽtiã præſtãs paruulis.
Iuſtitiæ domini rectæ,lætificantes corda:præceptum domini lucidum,illuminans oculos.
Timor domini ſanct9 permanet in ſeculũ ſeculi.iudicia domini vera, iuſtificata in ſemetipſa:
Deſyderabilia ſuper aurum & lapidem precioſum multum,& dulciora ſuper mel & fauum.

Etenim seruus tuus custodit ea:in custodiendis illis retributio multa.
Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me:& ab alienis parce seruo tuo.
Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero,& emundabor à delicto maximo.
Et erunt vt cõplaceant eloquia oris mei,& meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.
Domine adiutor meus,& redemptor meus.
Gloria patri,& filio. Sicut erat in principio. añ. Sicut myrrha electa odorem dedisti suauitatis sancta dei genitrix. añ. Ante thorum. Psalmus.
Domini est terra,& plenitudo eius:orbis terrarum,& vniuersi qui habitãt in eo.
Quia ipse super maria fundauit eum: & super flumina præparauit eum.
Quis ascendet in montem domini? aut quis stabit in loco sancto eius?
Innocens manibus & mũdo corde,qui non accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo:
Hic accipiet benedictionem à domino,& misericordiam à deo salutari suo.
Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem dei Iacób.
Attollite portas principes vestras,& eleuamini portæ æternales:& introibit rex gloriæ.
Quis est iste rex gloriæ? dominus fortis & potens:dominus potens in prælio.
Attollite portas principes vestras,& eleuamini portæ æternales:& introibit rex gloriæ.
Quis est iste rex glorię? dominus virtutum ipse est rex gloriæ.

Gloria patri,& filio. Sicut erat in principio. añ. Ante thorum huius virginis frequentate nobis dulcia cantica dragmatis. ℣. Diffusa est gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te deus in æternũ. Pater noster. Et ne nos. Absolutio. Precibus & meritis bea. vt sequitur post. ¶ Tres hi psalmi sequẽtes dicuntur die Martis,& die Veneris ad matutinum. añ. Specie tua. Psalmus.

ERuctauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.

Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.

Speciosus forma præ filijs hominum : diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum, potẽtissime.

Specie tua & pulchritudine tua intẽde prospere, procede & regna,

Propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum regis.

Sedes tua deus in seculũ seculi: virga directionis, virga regni tui.

Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem : propterea vnxit te deus deus tuus oleo lætitiæ prę consortibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cassia à vestimentis tuis, à domibus eburneis : ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.

Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circúndata varietate.

Audi filia,& vide,& inclina aurem tuã:& obliuiſcere populum tuum,& domum patris tui.
Et concupiſcet rex decôrem tuũ,quoniam ipſe eſt dominus deus tuus:& adorabunt eum.
Et filiæ Tyri in muneribus: vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.
Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.
Adducentur regi virgines poſt eam: proximæ eius afferentur tibi.
Afferentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum regis.
Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos principes ſuper omnem terram.
Memores erunt nominis tui domine, in omni generatione & generationem.
Propterea populi confitebuntur tibi in æternũ & in ſeculum ſeculi.
Gloria patri. Sicut erat in principio. añ. Specie tua, & pulchritudine tua intende proſpere procede,& regna. añ. Adiuuabit eam. Pſalmus.

Deus noſter refugium & virtus: adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis.
Propterea nõ timebimus dum turbabitur terra,& transferentur montes in cor maris.
Sonuerunt & turbatæ ſunt aquæ eorum: conturbati ſunt montes in fortitudine eius.
Fluminis impetus lætificat ciuitatem dei: ſanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus.
Deus in medio eius non commouebitur:adiuuabit eam deus mane diluculo.
Conturbatę ſunt gẽtes & inclinata ſunt regna:

dedit vocem ſuam,mota eſt terra.
D ominus virtutum nobiſcum : ſuſceptor noſter deus Iacób.
Venite,& videte opera domini quę poſuit prodigia ſuper terram,
A uferens bella vſq; ad finem terræ:arcum conteret & cõfringet arma,& ſcuta comburet igni.
Vacate & videte quoniam ego ſum deus: exaltabor in gentibus,& exaltabor in terra.
D ominus virtutum nobiſcum : ſuſceptor noſter deus Iacób.
G loria patri. S icut erat in principio. añ. Adiuuabit eam deus vultu ſuo,de⁹ in medio eius nõ commouebitur. añ. Sicut lætantium. Pſalmus.
F Vndamenta eius in montibus ſanctis:diligit dominus portas Siòn ſuper omnia tabernacula Iacób.
G loriosa dicta ſunt de te,ciuitas dei.
M emor ero Raab & Babylonis ſcientium me.
E cce alienigenæ,& Tyrus,& populus AEthiopum:hi fuerunt illic.
N unquid Siòn dicet, homo,& homo natus eſt in ea:& ipſe fundauit eam altiſſimus?
D ominus narrabit in ſcripturis populorum & principum:horum qui fuerunt in ea.
S icut lætantium omnium:habitatio eſt in te.
G loria patri,& filio,& ſpiritui ſancto.
S icut erat in principio,& nunc,& ſemper,& in ſecula ſeculorum. Amen. añ. Sicut lætantiũ omnium noſtrum,habitatio eſt in te ſancta dei genitrix. ℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te deus in æternum. Pater noſter. Et ne nos. Abſolutio. P recibus & meritis.

vt sequitur post ¶Tres hi psalmi sequentes dicuntur die Mercurij, & die Sabbati ad matutinum. añ. Gaude Maria. Psalmus.

CAntate domino canticum nouum: cantate domino omnis terra.
Cantate domino & benedicite nomini eius: annunciate de die in diem salutare eius.
Annunciate inter gentes gloriam eius: in omnibus populis mirabilia eius.
Quoniã magnus dominus & laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.
Quoniam omnes dij gentium, dęmonia: dominus autem cælos fecit.
Confessio & pulchritudo in cõspectu eius: sanctimonia & magnificẽtia in sanctificatione ei⁹.
Afferte domino patriæ gentiũ, afferte domino gloriã & honorẽ: afferte dño gloriã nomini eius.
Tollite hostias & introite in atria eius: adorate dominum in atrio sancto eius.
Commoueatur à facie eius vniuersa terra: dicite in gentibus quia dominus regnauit.
Etenim correxit orbem terræ qui non commouebitur: iudicabit populos in æquitate.
Lætentur cæli & exultet terra: commoueatur mare, & plenitudo eius: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt.
Tunc exultabũt omnia ligna syluarum à facie domini: quia venit, quoniã venit iudicare terrã.
Iudicabit orbem terræ in æquitate: & populos in veritate sua.
Gloria patri. Sicut erat in principio. añ. Gaude Maria virgo, cũctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo. añ. Dignare me. Psalmus.

Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ.
Nubes & caligo in circumitu eius: iustitia & iudicium correctio sedis eius.
Ignis ante ipsum præcedet: & inflammabit in circumitu inimicos eius.
Alluxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit, & cõmota est terra.
Montes sicut cera fluxerunt à facie domini: à facie domini omnis terra.
Annunciauerunt cæli iustitiam eius: & viderũt omnes populi gloriam eius.
Confundantur omnes qui adorant sculptilia: & qui gloriantur in simulachris suis.
Adorate eum omnes angeli eius: audiuit, & lætata est Sion.
Et exultauerunt filiæ Iudæ, propter iudicia tua domine.
Quoniã tu dominus altissimus super omnem terram: nimis exaltatus es super omnes deos.
Qui diligitis dominum odite malum: custodit dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.
Lux orta est iusto: & rectis corde lætitia.
Lætamini iusti in domino: & confitemini memoriæ sanctificationis eius.
Gloria patri. Sicut erat in principio. añ. Digna re me laudare te virgo sacrata, da mihi virtutẽ contra hostes tuos. añ. Post partum. Psalmus.
Cantate domino canticum nouum: quĩa mirabilia fecit.
Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.

Notum fecit dominus ſalutare ſuum: in cōſpectu gentium reuelauit iuſtitiam ſuam.
Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ domui Iſraél.
Viderunt oēs termini terræ ſalutare dei noſtri.
Iubilate domino omnis terra: cantate, & exultate, & pſallite.
Pſallite domino ī cithara, in cithara & voce pſalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.
Iubilate in conſpectu regis domini: moueatur mare, & plenitudo eius: orbis terrarum, & qui habitant in eo.
Flumina plaudēt manu, ſimul mōtes exultabūt à cōſpectu domini: quoniā venit iudicare terrā.
Iudicabit orbem terrarum in iuſtitia: & populos in æquitate.
Gloria patri, & filio. Sicut erat ī principio. añ. Poſt partum virgo inuiolata permāſiſti, dei genitrix intercede pro nobis. ℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te deus in æternum. Pater noſter. Et ne nos. Abſolutio.

PRecibus & meritis beatæ Mariæ ſemper virginis, & omniū ſanctorum perducat nos dominus ad regna cælorū. ℟. Amen. ℣. Iube dñe benedicere. Bñdictio. Nos cū prole pia benedicat virgo Maria. ℟. Amen. Lctō. j.

IN omnibus requiem quæſiui, & in hæreditate domini morabor. Tunc præcepit, & dixit mihi creator omniū, & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi. In Iacòb inhabita, & in Iſraèl hæreditare, & in electis meis mitte radices. Tu autem domine miſerere noſtri. ℟. Deo gratias. ℟. Sancta & im-

maculata virginitas, quibus te laudibus efferã, neſcio. Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contuliſti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quia quem cæli capere. ℣. Iube domine benedicere. Benedictio. In omni tribulatione & anguſtia, ſuccurrat nobis virgo Maria. ℟. Amẽ. Lctõ.ij.

ET ſic in Siòn firmata ſum, & in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui, & in Hieruſalem poteſtas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in partes dei mei hæreditas illius, & in plenitudine ſanctorum detentio mea. Tu autẽ domine miſerere noſtri. ℟. Deo gratias. ℟. Beata es virgo Maria, quæ dominũ portaſti creatorem mundi. Genuiſti qui te fecit, & in æternum permanes virgo. ℣. Aue Maria gratia plena, dominus tecum. Genuiſti. ℣. Iube domine benedicere. Benedictio. Per virginem matrem cõcedat nobis dominus ſalutem, & pacem. ℟. Amen. Lectio.iij.

QVaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi cypreſſus in mõte Siòn. Quaſi palma exaltata ſum ĩ Cadés, & quaſi plãtatio roſæ ĩ Hiericho. Quaſi oliua ſpecioſa in campis, & quaſi platanus exaltata ſum iuxta aquas. In plateis ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizãs odorem dedi. quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris. Tu autem domine miſerere noſtri. ℟. Deo gratias. ℟. Felix nanq; es ſacra virgo Maria, & omni laude digniſſima, Quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ Chriſtus deus noſter. ℣. Ora pro populo, intérueni pro clero, intercede pro deuoto fœmi

neo sexu. sentiãt omnes tuũ iuuamen, quicunq; celebrant tuam sanctam commemorationem. Quia ex te. ℣. Gloria patri. Christus de⁹ noster.

Canticum sanctorum Ambrosij & Augustini.

TE deum laudamus, te dominum confitemur.

Te æternum patrem omnis terra veneratur.

Tibi oẽs angeli, tibi cęli, & vniuersę potestates,

Tibi cherubim, & seraphim, ĩcessabili voce proclamant:

Sanctus.

Sanctus.

Sanctus dominus deus sabaóth.

Pleni sunt cæli, & terra, maiestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus apostolorum chorus,

Te prophetarum laudabilis numerus,

Te martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarũ sancta cõfitetur ecclesia,

Patrem immensæ maiestatis,

Venerandum tuum verum, & vnicum filium,

Sanctum quoq; paracletum spiritum.

Tu rex gloriæ Christe.

Tu patris sempiternus es filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti virginis vterum.

Tu deuicto mortis aculeo, aperuisti credẽtibus regna cælorum.

Tu ad dexteram dei sedes in gloria patris.

Iudex crederis esse venturus.

Te ergo quæsimus famulis tuis súbueni, quos precioso sanguine redemisti.

AEterna fac cũ sanctis tuis in gloria numerari.

‡

Saluum fac populum tuum domine, & benedic hæreditati tuæ.
Et rege eos,& extolle illos,vsq; in æternum.
Per singulos dies benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in seculum,& in seculum seculi.
Dignare dñe die isto sine peccato nos custodire.
Miserere nostri domine,miserere nostri.
Fiat misericordia tua domine super nos,quemadmodum sperauimus in te.
In te domine speraui, non confundar in æternum. ℂ Ad laudes Versus.
Deus in adiutorium meum intende. ℞.
Domine ad adiuuandum me festina.
Gloria patri,& filio,& spiritui sancto.
Sicut erat in principio,& nunc,& semper,& in secula seculorum. Amen. añ. O admirabile. p̃s.
Dominus regnauit, decorē indutus est: indutus est dominus fortitudinem, & præcinxit se.
Etenim firmauit orbem terræ,qui non commouebitur.
Parata sedes tua deus ex tunc: à seculo tu es.
Eleuauerunt flumina domine: eleuauerunt flumina vocem suam.
Eleuauerunt flumina fluctus suos: à vocibus aquarum multarum.
Mirabiles elationes maris: mirabilis in altis dominus.
Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitudo domine in longitudinem dierum.
Gloria patri. Sicut erat. añ. O admirabile com

mertium creator generis humani,animatũ corpus sumẽs,de virgine nasci dignatus est.& procedens homo sine semine,largitus est nobis suã deitatem. añ. Quando natus. Psalmus.

IVbilate deo omnis terra: seruite domino in lætitia.

Introite in conspectu eius in exultatione.

Scitote quoniam dominus ipse est deus:ipse fecit nos,& non ipsi nos.

Populus eius & oues pascuæ eius introite portas eius in confessione:atria eius in hymnis confitemini illi.

Laudate nomẽ eius,quoniam suauis est dominus in æternum misericordia eius, & vsque in generatione & generationem veritas eius.

Gloria patri. Sicut erat. añ. Quando natus es ineffabiliter ex virgine,tunc impletæ sunt scripturæ:sicut pluuia in vellus descẽdisti,vt saluũ faceres genus humanum,te laudamus deus noster. añ. Rubum quem viderat. Psalmus.

DEus deus meus,ad te de lucẽ vigilo.

Sitiuit in te anima mea: quàm multipliciter tibi caro mea

In terra deserta inuia & inaquosa. sic in sancto apparui tibi:vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas:labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea:& in nomine tuo leuabo manus meas.

Sicut adipe & pĩguedine repleatur anima mea: & labijs exultationis laudabit os meum.

Sic memor fui tui super stratum meũ:in matu

tinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus.
Et in velamento alarum tuarũ exultabo, adhæ-
sit anima mea post te: me suscepit dextera tua.
Ipsi vero inuanum quæsierũt animam meam,
introibunt in inferiora terræ: tradentur in ma-
nus gladij, partes vulpium erunt.
Rex vero lætabitur in deo, laudabuntur om-
nes qui iurant in eo: quia obstructum est os lo-
quentium iniqua. Psalmus.

Deus misereatur nostri, & benedicat no-
bis, illuminet vultum suum super nos,
& misereatur nostri:
Vt cognoscamus in terra viam tuam, in omni-
bus gentibus salutare tuum.
Confiteantur tibi populi deus, confiteantur ti-
bi populi omnes.
Lætentur & exultent gentes: quoniam iudicas
populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.
Confiteantur tibi populi deus, confiteantur ti-
bi populi omnes: terra dedit fructum suum.
Benedicat nos deus deus noster, benedicat nos
deus: & metuant eum omnes fines terræ.
Gloria patri, & filio. Sicut erat in principio. añ.
Rubum quem viderat Moyses incombustum,
conseruatam agnouimus tuam laudabilem vir
ginitatem. dei genitrix intercede pro nobis. añ.
Germinauit. Canticum trium puerorum.

Benedicite omnia opera domini domino:
laudate, & superexaltate eum in secula.
Benedicite angeli domini domino. bene-
dicite cæli domino.
Benedicite aquæ oẽs quæ super cælos sunt, do-
mino. benedicite omnes virtutes domini dño.

Benedicite ſol,& luna domino. benedicite ſtel-
læ cæli domino.
Benedicite imber,& ros domino.benedicite om
nis ſpiritus dei domino.
Benedicite ignis, & æſtus domino. benedicite
frigus,& æſtas domino.
Benedicite rores,& pruina domino. benedicite
gelu,& frigus domino.
Benedicite glacies,& niues domino. benedicite
noctes,& dies domino.
Benedicite lux, & tenebræ domino. benedicite
fulgura,& nubes domino.
Benedicat terra dominum:laudet,& ſuperexal
tet eum in ſecula.
Benedicite montes,& colles domino. benedici-
te vniuerſa germinantia in terra domino.
Benedicite fontes domino.benedicite maria,&
flumina domino.
Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in a-
quis dño. benedicite omnes volucres cæli dño.
Benedicite omnes beſtiæ,& pecora domino. be
nedicite filij hominum domino.
Benedicat Iſraël dominum:laudet,& ſuperex-
altet eum in ſecula.
Benedicite ſacerdotes domini domino.benedi-
cite ſerui domini domino.
Benedicite ſpiritus, & animæ iuſtorum domi-
no.benedicite ſancti,& humiles corde domino.
Benedicite Anania, Azaria, Miſaël domino:lau
date,& ſuperexaltate eum in ſecula.
Benedicamus patrem,& filium cum ſancto ſpi
ritu:laudemus, & ſuperexaltemus eũ in ſecula.
Benedictus es dñe in firmamẽto cæli,& lauda-

bilis, & gloriosus, & superexaltatus in secula. añ. Germinauit radix Iessæ, orta est stella ex Iacób, virgo peperit saluatorẽ, te laudamus deus noster. añ. Ecce Maria. Psalmus.

LAudate dominum de cælis: laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.

Laudate eum sol, & luna: laudate eum omnes stellæ, & lumen.

Laudate eum cæli cælorum: & aquæ quæ super cælos sunt, laudent nomen domini.

Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.

Statuit ea in æternum, & in seculũ seculi: præceptum posuit, & non præteribit.

Laudate dominum de terra: dracones, & omnes abyssi,

Ignis, grãdo, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius.

Montes & omnes colles: ligna fructifera & omnes cedri.

Bestiæ, & vniuersa pecora, serpẽtes, & volucres pennatæ.

Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes iudices terræ:

Iuuenes, & virgines senes cum iunioribus laudent nomẽ domini: quia exaltatum est nomen eius solius.

Confessio eius super cælum & terram: & exaltauit cornu populi sui.

Hymnus omnibus sanctis eius filijs Israël populo appropinquanti sibi. Psalmus.

CAntate domino canticum nouum: laus eius in ecclesia sanctorum.
Lætetur Israël in eo qui fecit eum:& filiæ Siòn exultent in rege suo.
Laudent nomen eius in choro : in tympano & psalterio psallant ei.
Quia beneplacitum est domino in populo suo: & exaltauit mansuetos in salutem.
Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.
Exultationes dei in gutture eorum,& gladij ancipites in manibus eorum:
Ad faciendam vindictam in nationibus,increpationes in populis:
Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis:
Vt faciant in eis iudicium conscriptum : gloria hæc est omnibus sanctis eius. Psalmus.
LAudate dominum in sanctis eius:laudate eum in firmamento virtutis eius.
Laudate eum in virtutibus eius:laudate eum secũdum multitudinẽ magnitudinis eius.
Laudate eum in sono tubæ: laudate eũ in psalterio & cithara.
Laudate eum in tympano & choro:laudate eũ in chordis & organo.
Laudate eum in cymbalis benesonantibus,laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet dominum.
Gloria patri,& filio. Sicut erat. añ. Ecce Maria genuit nobis saluatorem,quem Ioannes videns exclamauit dicens, ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi,alleluia. Capitulum.

V Iderũt eam filiæ Sión, & beatiſſimam prædicauerunt:reginę,& laudauerunt eam. ℟. Deo gratias. Hymnus.

O Glorioſa domina,excelſa ſupra ſydera: qui te creauit prouide,lactaſti ſacro v= bere.

Quod Eua triſtis abſtulit,tu reddis almo germi ne.intrẽt vt aſtra flebiles,cæli feneſtra facta es.

Tu regis alti ianua,& porta lucis fulgida.vitam datam per virginem,gẽtes redemptæ plaudite.

Gloria tibi domine, qui natus es de virgine,cũ patre & ſancto ſpiritu,in ſempiterna ſecula.A= men. ℣. Benedicta tu in mulieribus. ℟.Et be= nedictus fructus ventris tui. añ. Mirabile my= ſterium. Canticum Zachariæ.

B Enedictus dominus deus Iſraél:quia vi= ſitauit, & fecit redemptionẽ plebis ſuæ.

Et erexit cornu ſalutis nobis , in domo Dauid pueri ſui,

Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſecu= lo ſunt prophetarum eius,

Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omni= um qui oderunt nos,

Ad faciendam miſericordiam cum patribus no ſtris:& memorari teſtamenti ſui ſancti,

Iuſiurandum quod iurauit ad Abrahàm patrẽ noſtrum,daturum ſe nobis

Vt ſine timore,de manu inimicorum noſtrorũ liberati,ſeruiamus illi

In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.

Et tu puer, propheta altiſſimi vocaberis:præi= bis enim ante faciem domini parare vias eius,

GEOFROY TORY. SIC VT NON PLS

Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum

Per viscera misericordię dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto

Illuminare ijs, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedēt, ad dirigēdos pedes nostros in viā pacis.

Gloria patri. Sicut erat. añ. Mirabile mysteriū declaratur hodie, innouantur naturæ, deus homo factus est. id quod fuit, permansit, & quod non erat, assumpsit: nō commixtionem passus, neq; diuisionem. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. ℣. Domine exaudi orationē meā. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

DEus qui salutis æternę beatę Marię virginitate fœcunda humano generi præmia pręstitisti, tribue quęsimus, vt ipsā pro nobis intercedere sentiamus, per quā meruimus autorem vitæ suscipere dominum nostrum Iesum Christum filium tuum. ℟. Amē.

Commemoratio de sanctis. añ. Sancti dei omnes intercedere dignemini pro nostra omniūq; salute. ℣. Lætamini in domino, & exultate iusti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde. Oratio.

PRotege domine populum tuum, & apostolorum tuorum Petri, & Pauli, & aliorum apostolorū patrocinio confidentem perpetua defensione conserua. Oratio.

OMnes sancti tui quęsimus domine nos vbiq; adiuuent, vt dum eorū merita recolimus, patrocinia sentiamus, & pacē tuā nostris concede tēporibus, & ab ecclesia tua cunctā repelle nequitiā: iter, actus, & volūtates nostras, & omniū famulorū tuorū in salutis tuę

prosperitate dispone:benefactorib9 nostris sempiterna bona retribue,& omnibus fidelibus defunctis requiem æternã concede,Per dominum nostrũ Iesum Christũ filium tuũ,qui tecum viuit,& regnat in vnitate spiritus sancti de9, Per omnia secula seculorũ. Amen. Domine exaudi orationem meã. Et clamor meus ad te veniat. Benedicamus domino. Deo gratias. Fidelium animæ defunctorum per misericordiam dei requiescãt in pace. Amen. ℭ Ad primam Versus.

DEus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me festina. Gloria patri,& filio, & spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc .&c. Hymnus.

MEmẽto salutis autor,quòd nostri quondam corporis,ex illibata virgine nascendo formam sumpseris.

Maria mater gratię,mater misericordię,tu nos ab hoste protege,& hora mortis suscipe.

Gloria tibi domine, qui natus es de virgine, cũ patre & sancto spiritu,in sempiterna secula. Amen. añ. O admirabile. Psalmus.

DEus in nomine tuo saluum me fac:& in virtute tua iudica me.

Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei:

Quoniam alieni insurrexerũt aduersum me,& fortes quæsierunt animam meam: & non proposuerunt deum ante conspectum suum.

Ecce enim deus adiuuat me:& dominus susceptor est animæ meæ.

Aduerte mala inimicis meis: & in veritate tua disperde illos.

Voluntarie ſacrificabo tibi,& confitebor nomini tuo domine:quoniam bonum eſt.
Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me:& ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.
Gloria patri. Sicut erat in principio. Pſalmus.

BEnedixiſti domine terram tuam: auertiſti captiuitatem Iacob.
Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum.
Mitigaſti omnem iram tuã: auertiſti ab ira indignationis tuæ.
Conuerte nos deus ſalutaris noſter:& auerte iram tuam à nobis.
Nunquid in æternum iraſcêris nobis:aut extẽdes iram tuam à generatione in generationem?
Deus tu cõuerſus viuificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.
Oſtende nobis domine miſericordiam tuam:& ſalutare tuum da nobis.
Audiam quid loquatur in me dominus deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam,
Et ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor.
Veruntamen prope timẽtes eum ſalutare ipſius:vt inhabitet gloria in terra noſtra.
Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi:iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.
Veritas de terra orta eſt: & iuſtitia de cælo proſpexit.
Etenim dominus dabit benignitatem: & terra noſtra dabit fructum ſuum.
Iuſtitia ante eum ambulabit: & ponet in via greſſus ſuos.

G loria patri. S icut erat in principio. Psalmus.

L Audate dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.

Q uoniã confirmata est super nos misericordia eius: & veritas domini manet in æternũ.

G loria patri, & filio, & spiritui sancto.

S icut erat in principio, & nunc, & semper. añ. O admirabile commercium, creator generis humani, animatum corpus sumens, de virgine nasci dignatus est. & procedens homo sine semine, largitus est nobis suam deitatem. Capitulum.

Q Væ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? ℟. Deo gratias ℣. Dignare me laudare te virgo sacrata. ℟. Da mihi virtutem cõtra hostes tuos. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. ℣. Dñe exaudi orationẽ meã. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Orõ.

D Eus qui salutis æternæ beatæ Mariæ virginitate fœcũda humano generi præmia præstitisti, tribue quæsimus, vt ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quã meruimus autorem vitæ suscipere dominũ nostrum Iesum Christum filium tuum. ℟. Amẽ.

¶Pro sanctis añ. Sancti dei omnes intercedere dignemini pro nostra omniumq; salute ℣. Lætamini in domino, & exultate iusti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde. Oratio.

E Xaudi nos deus salutaris noster, & apostolorum tuorum Petri, & Pauli, & aliorum apostolorum nos tuere præsidijs, quorum donasti fideles esse doctrinis. Oratio.

OMnes sancti tui quæsimus domine nos vbiq; adiuuent, vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus,& pacem tuã nostris concede tẽporibus,& ab ecclesia tua cunctã repelle nequitiã:iter,actus,& voluntates nostras,& omniũ famulorũ tuorũ in salutis tuæ prosperitate dispone:benefactorib⁹ nostris sempiterna bona retribue,& omnibus fidelibus defunctis requiem æternã concede,Per dominũ nostrũ Iesum Christũ filiũ tuũ, qui tecũ viuit,& regnat in vnitate spiritus sancti deus, Per omnia secula seculorũ. Amen. Domine exaudi orationem meã. Et clamor meus ad te veniat. Benedicamus domino. Deo gratias. Fidelium animæ defunctorũ per misericordiam dei requiescant in pace. Amen. ❡ Ad tertiã Versus.

DEus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me festina. Gloria patri,& filio,& spiritui sancto. Sicut erat in principio,& nunc,& semper,& in secula seculorum. Amen. Hymnus.

MEmẽto salutis autor,quòd nostri quondam corporis,ex illibata virgine,nascendo formam sumpseris.

Maria mater gratię,mater misericordię,tu nos ab hoste protege,& hora mortis suscipe.

Gloria tibi domine,qui natus es de virgine, cũ patre & sancto spiritu,in sempiterna secula. Amen. añ. Quando natus. Psalmus.

AD dominum cum tribularer clamauĩ:& exaudiuit me.

Domine libera animam meam à labijs iniquis,& à lingua dolosa.

Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad lin guam doloſam?

Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus deſolatorijs.

Hei mihi quia incolatus meus prolongatus eſt: habitaui cum habitantibus Cedár, multum incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Gloria patri. Sicut erat in principio. Pſalmus.

LEuaui oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi.

Auxilium meũ à domino: qui fecit cælum & terram.

Non det in commotionem pedem tuum: neq; dormitet qui cuſtodit te.

Ecce non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſraél.

Dominus cuſtodit te, dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam.

Per diem ſol non vret te: neq; luna per noctem.

Dominus cuſtodit te ab omni malo: cuſtodiat animam tuam dominus.

Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum ex hoc nunc & vſque in ſeculum.

Gloria patri. Sicut erat in principio. Pſalmus.

LAEtatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum domini ibimus.

Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Hieruſalém.

Hieruſalẽ quæ ædificatur vt ciuitas: cuius participatio eius in idipſum.

Illuc enim aſcenderũt tribus, tribus domini: te-

stimonium Israël ad cõfitendũ nomini domini.
Quia illic sederunt sedes in iudicio: sedes super domum Dauid.
Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalém: & abundantia diligentibus te.
Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.
Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te.
Propter domum domini dei nostri, quæsiui bona tibi.
Gloria patri, & filio, & spiritui sancto. Sicut erat &c. añ. Quando natus es ineffabiliter ex virgine, tunc impletæ sunt scripturæ. sicut pluuia in vellus descẽdisti, vt saluum faceres genus humanum, te laudamus deus noster. Capitulum.

ET sic in Siòn firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Hierusalèm potestas mea. ℟. Deo gratias. ℣. Diffusa est gratia in labijs tùis. ℟. Propterea benedixit te deus in æternũ. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. ℣. Domine exaudi orationẽ meã. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oro

DEus qui salutis æternę beatæ Marię virginitate fœcunda humano generi præmia pręstitisti, tribue quæsimus, vt ipsã pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus autorem vitæ suscipere dominum nostrum Iesum Christum filium tuum. ℟. Amẽ.
¶Pro sanctis añ. Sancti dei omnes intercedere dignemini pro nostra omniumq́ salute. ℣. Lætamini in domino, & exultate iusti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde. Oratio.

PRotege domine populum tuum,& apostolorum tuorum Petri, & Pauli, & aliorum apostolorũ patrocinio confidentem perpetua defensione conserua. Oratio.

OMnes sancti tui quęsimus domine nos vbiq; adiuuẽt, vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus, & pacẽ tuam nostris concede temporibus,& ab ecclesia tua cunctã repelle nequitiã:iter,actus,& voluntates nostras,& omniũ famulorũ tuorũ in salutis tuæ prosperitate dispone.benefactorib9 nostris sempiterna bona retribue,& omnibus fidelibus defunctis requiẽ æternam cõcede,Per dominũ nostrũ Iesum Christũ filiũ tuũ,qui tecum viuit, & regnat in vnitate spiritus sancti deus, Per omnia secula seculorũ. Amen. Domine exaudi orationem meã. Et clamor meus ad te veniat. Benedicamus domino. Deo gratias. Fidelium animæ defunctorum per misericordiã dei requiescant in pace. Amen. ¶ Ad sextã Versus.

DEus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me festina. Gloria patri,& filio,& spiritui sancto. Sicut erat in principio,& nunc,& semper,& in secula seculorum. Amen. Hymnus.

MEmẽto salutis autor,quòd nostri quondam corporis,ex illibata virgine nascendo formam sumpseris.

Maria mater gratię,mater misericordię,tu nos ab hoste prótege,& hora mortis suscipe.

Gloria tibi domine,qui natus es de virgine, cũ patre & sancto spiritu,in sempiterna secula. Amen. añ. Rubum quem viderat. Psalmus.

AD te leuaui oculos meos: qui habitas in cælis.

Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum,

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuę: ita oculi noſtri ad dominum deum noſtrum donec miſereatur noſtri.

Miſerere noſtri domine, miſerere noſtri: quia multum repleti ſumus deſpectione.

Quia multum repleta eſt anima noſtra: opprobrium abundantibus & deſpectio ſuperbis.

Gloria patri. Sicut erat in principio. Pſalmus.

NIſi quia dominus erat ĩ nobis, dicat nũc Iſraél, niſi quia dominus erat in nobis,

Cum exurgerent homines in nos: forte viuos deglutiſſent nos.

Cum iraſceretur furor eorum in nos: forſitan aqua abſorbuiſſet nos:

Torrentem pertranſiuit anima noſtra: forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilẽ.

Benedictus dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.

Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.

Adiutorium noſtrum in nomine domini, qui fecit cælum & terram.

Gloria patri. Sicut erat in principio. Pſalmus.

QVi confidunt in domino ſicut mons Sión: non cõmouebitur in æternum qui habitat in Hieruſalém.

Montes in circumitu eius, & dominus in circũitu populi ſui: ex hoc nunc & vſq; in ſeculum.

Quia non relinquet dominus virgam peccatorum super sortem iustorum: vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.
Benefac domine bonis & rectis corde.
Declinantes autem in obligationes adducet dominus cum operantibus iniquitatem : pax super Israél.
Gloria patri,& filio,& spiritui sancto. Sicut erat in principio,& nunc,& semper &c.añ. Rubum quem viderat Moyses incombustum,conseruatam agnouimus tuã laudabilem virginitatem dei genitrix intercede pro nobis. Capitulũ

ET radicaui in populo honorificato,& in partes dei mei hæreditas illius, & in plenitudine sanctorũ detẽtio mea. ℟.Deo gratias. ℣.Benedicta tu in mulieribus. ℟.Et benedictus fructus vẽtris tui. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. ℣.Domine exaudi orationẽ meã. ℟.Et clamor meus ad te veniat. orõ

DEus qui salutis æternę beatę Mariæ virginitate fœcunda humano generi præmia pręstitisti,tribue quæsimus,vt ipsã pro nobis intercedere sentiamus,per quam meruimus autorem vitæ suscipere dominum nostrum Iesum Christum filium tuum. ℟. Amẽ.
¶ Pro sanctis añ. Sancti dei omnes intercedere dignemini pro nostra omniumq́ꝫ salute. ℣.Lætamini in domino, & exultate iusti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde. Oratio.

EXaudi nos deus salutaris noster,& apostolorum tuorum Petri,& Pauli, & aliorum apostolorum nos tuere præsidijs, quorum donasti fideles esse doctrinis. Oratio.

OMnes sancti tui quęsimus domine nos vbiq; adiuuent, vt dum eorũ merita recolimus, patrocinia sentiamus, & pacẽ tuam nostris concede temporibus, & ab ecclesia tua cunctã repelle nequitiã: iter, actus, & voluntates nostras, & omniũ famulorũ tuorũ in salutis tuæ prosperitate dispone: benefactorib9 nostris sempiterna bona retribue, & omnibus fidelibus defunctis requiẽ æternam cõcede, Per dominũ nostrũ Iesum Christũ filiũ tuũ, qui tecum viuit, & regnat in vnitate spiritus sancti deus, Per omnia secula seculorũ. Amen. Domine exaudi orationem meã. Et clamor meus ad te veniat. Benedicamus domino. Deo gratias. Fidelium animæ defunctorum per misericordiã dei requiescant in pace. Amen. ¶ Ad nonã Versus.

DEus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me festina.
Gloria patri, & filio, & spiritui sancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen. Hymnus.

MEmẽto salutis autor, quòd nostri quondam corporis, ex illibata virgine, nascendo formam sumpseris.
Maria mater gratię, mater misericordię, tu nos ab hoste prótege, & hora mortis suscipe.
Gloria tibi domine, qui natus es de virgine, cũ patre & sancto spiritu, in sempiterna secula. Amen. añ. Ecce Maria. Psalmus.

IN conuertendo dominus captiuitatẽ Sión: facti sumus sicut consolati.
Tunc repletum est gaudio os nostrũ, & lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes, magnificauit dominus facere cum eis.
Magnificauit dominus facere nobiſcum : facti ſumus lætantes.
Conuertere domine captiuitatem noſtram ſicut torrens in auſtro.
Qui ſeminant in lachrymis: in exultatione metent.
Euntes ibant & flebant: mittentes ſemina ſua.
Venientes autem veniẽt cum exultatione, portantes manipulos ſuos.
Gloria patri. Sicut erat in principio. Pſalmus.
NIſi dominus ædificauerit domũ: in vanum laborauerunt qui ædificant eam.
Niſi dominus cuſtodierit ciuitatẽ: fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.
Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere : ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.
Cum dederit dilectis ſuis ſomnum: ecce hæreditas domini, filij, merces fructus ventris.
Sicut ſagittæ in manu potentis: ita filij excuſſorum.
Beatus vir qui impleuit deſyderium ſuum ex ipſis: non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta.
Gloria patri. Sicut erat in principio. Pſalmus.
BEati omnes qui timent dominũ, qui ambulant in vijs eius:
Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.
Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.

Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circumitu menſæ tuæ.
Ecce ſic bendicetur homo, qui timet dominũ.
Benedicat tibi dominus ex Sión: & videas bo-
na Hieruſalèm omnibus diebus vitæ tuæ.
Et videas filios filiorum tuorum: pacem ſuper
Iſraél.
Gloria patri, & filio,& ſpiritui ſancto.
Sicut erat in principio,& nũc &c.añ. Ecce Ma-
ria genuit nobis ſaluatorem, quem Ioannes vi-
dens exclamauit,dicens:ecce agnus dei,ecce qui
tollit peccata mundi,alleluia. Capitulum.

IN plateis ſicut cinnamomum,& balſamum
aromatizans odorem dedi,quaſi myrrha ele
cta dedi ſuauitatẽ odoris. ℟. Deo gratias. ℣.
Poſt partum virgo inuiolàta permãſiſti. ℟. Dei
genitrix intercede pro nobis. Kyrie eleiſon. Chri
ſte eleiſon. Kyrie eleiſon. ℣. Domine exaudi ora-
tionẽ meã. ℟. Et clamor meus ad te veniat. orõ

DEus qui ſalutis æternæ beatæ Mariæ
virginitate fœcũda humano generi præ
mia præſtitiſti, tribue quæſimus, vt i-
pſam pro nobis intercedere ſentiamus,per quã
meruimus autorem vitæ ſuſcipere dominũ no
ſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum. ℟. Amẽ.
¶Pro ſanctis añ. Sancti dei omnes intercedere
dignemini pro nòſtra omniumq́ꝫ ſalute. ℣. Læ-
tamini in domino, & exultate iuſti. ℟. Et glo-
riamini omnes recti corde. Oratio.

PRæſta quæſimus omnipotens deus, vt
nullis nos permittas perturbationibus
concuti, quos in apoſtolicæ confeſſionis
petra ſolidaſti. Oratio.

OMnes ſancti tui quæſimus domine nos vbiq; adiuuent, vt dum eorum merita recolimus, patrocinia ſentiamus,& pacem tuã noſtris concede tēporibus,& ab eccleſia tua cunctã repelle nequitiã:iter,actus,& voluntates noſtras,& omniũ famulorũ tuorũ in ſalutis tuæ proſperitate diſpone:benefactorib⁹ noſtris ſempiterna bona retribue,& omnibus fidelibus defunctis requiem æternã concede,Per dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ filiũ tuũ, qui tecũ viuit,& regnat in vnitate ſpiritus ſancti deus, Per omnia ſecula ſeculorũ. Amen. Domine exaudi orationem meã. Et clamor meus ad te veniat. Benedicamus domino. Deo gratias. Fidelium animæ defunctorũ per miſericordiã dei requieſcãt in pace. Amen. ℭ Ad veſperas Verſus.

DEus in adiutorium meum intende. ℟.
Domine ad adiuuandum me feſtina.
Gloria patri,& filio,& ſpiritui ſancto.
Sicut erat in principio,& nunc,& ſemper,& in ſecula ſeculorum. Amen. añ. O admirabile. p̄s.

DIxit dominus domino meo, ſede à dextris meis:
Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.
Virgã virtutis tuæ emittet dominus ex Siòn: dominare in medio inimicorum tuorum.
Tecũ principiũ in die virtutis tuæ in ſplēdoribus ſanctorum:ex vtero ante luciferũ genui te.
Iurauit dominus,& non pœnitebit eũ:tu es ſacerdos in æternũ ſecundũ ordinē Melchiſedech.
Dominus à dextris tuis:cõfregit in die iræ ſuæ reges.

Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: conquassabit capita in terra multorum.
De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.
Gloria patri. Sicut erat. añ. O admirabile commercium creator generis humani, animatũ corpus sumẽs, de virgine nasci dignatus est, & procedens homo sine semine, largitus est nobis suã deitatem. añ. Quando natus. Psalmus.

LAudate pueri dominum: laudate nomẽ domini.
Sit nomen domini benedictum: ex hoc nunc & vsque in seculum.
A solis ortu vsq; ad occasum: laudabile nomen domini.
Excelsus super omnes gentes dominus: & super cælos gloria eius.
Quis sicut dominus deus noster qui in altis habitat: & humilia respicit in cælo & in terra?
Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem:
Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.
Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum lætantem.
Gloria patri. Sicut erat. añ. Quando natus es ineffabiliter ex virgine, tunc impletæ sunt scripturæ. sicut pluuia in vellus descendisti, vt saluum faceres genus humanũ, te laudamus deus noster. añ. Rubum quem viderat. Psalmus.

LAEtatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus.
Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis

Hierusalém.

Hierusalẽ quæ ædificatur vt ciuitas: cuius participatio eius in idipsum.

Illuc enim ascenderũt tribus, tribus domini: testimonium Israël ad cõfitendũ nomini domini.

Quia illic sederunt sedes in iudicio: sedes super domum Dauid.

Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalém: & abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te.

Propter domum domini dei nostri, quæsiui bona tibi.

Gloria patri. Sicut erat. añ. Rubũ quem viderat Moyses incombustum, conseruatã agnouimus tuã laudabilem virginitatem, dei genitrix intercede pro nobis. añ. Germinauit. Psalmus.

Nisi dominus ædificauerit domũ: in vanum laborauerunt qui ædificant eam.

Nisi dominus custodierit ciuitatẽ: frustra vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postq̃ sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas domini, filij, merces fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis: ita filij excussorum.

Beatus vir qui impleuit desyderium suum ex ipsis: non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria pr̃i. añ. Germinauit radix Iessæ orta est

NON PLVS

ſtella ex Iacób, virgo peperit ſaluatorem: te laudamus deus noſter. añ. Ecce Maria. Pſalmus.

LAuda Hieruſalèm dominum: lauda deũ tuum Sión.

Quoniam confortauit ſeras portarũ tuarum: benedixit filijs tuis in te.

Qui poſuit fines tuos pacem: & adipe frumenti ſatiat te.

Qui emittit eloquium ſuũ terræ: velociter currit ſermo eius.

Qui dat niuem ſicut lanam: nebulam ſicut cinerem ſpargit.

Mittit cryſtallum ſuam ſicut bucellas: ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?

Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea: flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.

Qui annũciat verbum ſuum Iacób: iuſtitias & iudicia ſua Iſraél.

Non fecit taliter omni nationi: & iudicia ſua non manifeſtauit eis.

Gloria patri. Sicut erat in principio. añ. Ecce Maria genuit nobis ſaluatorem, quem Ioannes videns exclamauit, dicens: ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi, alleluia. Capitulum.

AB initio, & ante ſecula creata ſum, & vſque ad futurum ſeculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui. ℟. Deo gratias. Hymnus.

AVe maris ſtella, dei mater alma, atque ſemper virgo, felix cæli porta,

Sumens illud aue, Gabrielis ore, funda nos in pace, mutans nomen Euæ.

Solue vincla reis, profer lumen cæcis, mala no-

ſtra pelle,bona cuncta poſce.
Monſtra te eſſe matrem, ſumat per te preces, qui pro nobis natus,tulit eſſe tuus.
Virgo ſingularis,inter omnes mitis, nos culpis ſolutos,mites fac,& caſtos.
Vitam præſta puram,iter para tutum,vt vidẽtes Ieſum,ſemper collætemur.
Sit laus deo patri ſummo,Chriſto decus, ſpiritui ſancto,tribus honor vnus. Amen. ℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te deus in æternum. añ. Magnum hæreditatis. Canticum beatæ Mariæ virginis.

MAgnificat anima mea dominum.
Et exultauit ſpiritus meus in deo ſalutari meo,
Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ,ecce enim ex hoc beatã me dicẽt omnes generationes,
Quia fecit mihi magna qui potens eſt: & ſanctum nomen eius.
Et miſericordia eius à progenie in progenies,timentibus eum.
Fecit potẽtiam in brachio ſuo:diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.
Depoſuit potẽtes de ſede,& exaltauit humiles.
Eſurientes impleuit bonis: & diuites dimiſit inanes.
Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ
Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abrahám, & ſemini eius in ſecula.
Gloria pri. añ. Magnũ hæreditatis myſteriũ,tẽplũ dei factus eſt vterus,neſciẽs virum. non eſt pollutus ex ea carnem aſſumẽs,omnes gẽtes ve

nient dicētes,gloria tibi domine. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. ℣. Dñe exaudi ora tionē meā. ℟. Et clamor meus ad te veniat. orō

DEus qui salutis æternę beatæ Marię virginitate fœcunda humano generi præmia pręstitisti,tribue quæsimus,vt ipsā pro nobis intercedere sentiamus,per quam meruimus autorem vitæ suscipere dominum nostrum Iesum Christum filium tuum. ℟. Amē.

¶ Pro sanctis añ. Sancti dei omnes intercedere dignemini pro nostra omniumq́ȝ salute. ℣. Lætamini in domino, & exultate iusti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde. Oratio.

PRotege domine populum tuum,& apostolorum tuorum Petri, & Pauli, & aliorum apostolorū patrocinio confidentem perpetua defensione conserua. Oratio.

OMnes sancti tui quęsimus domine nos vbiqȝ adiuuēt, vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus, & pacē tuam nostris concede temporibus,& ab ecclesia tua cunctā repelle nequitiā:iter,actus,& voluntates nostras,& omniū famulorū tuorū in salutis tuæ prosperitate dispone.benefactorib⁹ nostris sempiterna bona retribue,& omnibus fidelibus defunctis requiē æternam cōcede,Per dominū nostrū Iesum Christū filiū tuū,qui tecum viuit, & regnat in vnitate spiritus sancti deus, Per omnia secula seculorū. Amen. Domine exaudi orationem meā. Et clamor meus ad te veniat. Benedicamus domino. Deo gratias. Fidelium animæ defunctorum per misericordiā dei requiescant in pace. Amen. ¶ Ad cōpletoriū ℣.

Conuerte nos deus ſalutaris noſter. ℟. Et auerte iram tuam à nobis. ℣. Deus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto. Sicut erat ĩ principio, & nũc, & ſemper, & in ſecula ſeculorũ. Amẽ. p̃s.

SAEpe expugnauerũt me à iuuẽtute mea, dicat nunc Iſraél,

Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi.

Supra dorſum meũ fabricauerunt peccatores: prolongauerunt iniquitatem ſuam.

Dominus iuſtus cõcidet ceruices peccatorum: confundantur & conuertantur retrorſum omnes qui oderunt Sión.

Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur exaruit:

De quo nõ implebit manum ſuam qui metet: & ſinum ſuum qui manipulos colliget.

Et non dixerũt qui præteribant, benedictio domini ſuper vos: benediximus vobis in nomine domini.

Gloria patri. Sicut erat in principio. Pſalmus.

DE profundis clamaui ad te domine: domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſeruaueris domine: domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te domine.

Suſtinuit anima mea in verbo eius: ſperauit anima mea in domino.

A custodia matutina vsque ad noctem speret Israël in domino.
Quia apud dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.
Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibꝰ eius.
Gloria patri, & filio, & spiritui sancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen. Psalmus.
DOmine non est exaltatum cor meum: neque elati sunt oculi mei.
Neqꝫ ambulaui in magnis: neqꝫ in mirabilibus super me.
Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam:
Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.
Speret Israël in domino, ex hoc nunc & vsque in seculum.
Gloria patri, & filio, & spiritui sancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen. Hymnus.
MEmēto salutis autor, quòd nostri quondam corporis, ex illibata virgine nascendo formam sumpseris.
Maria mater gratię, mater misericordię, tu nos ab hoste prótege, & hora mortis suscipe.
Gloria tibi domine, qui natus es de virgine, cū patre & sancto spiritu, in sempiterna secula. Amen. Capitulum.
EGo mater pulchræ dilectionis, & timoris, & magnitudinis, & sanctæ spei. Deo grãs. ℣. Ora pro nobis sancta dei geni-

trix. ℟. Vt digni efficiamur promissionib⁹ Christi. añ. Magnũ hæreditatis. Canticũ Simeonis.

NVnc dimittis seruum tuum domine, secundum verbum tuum, in pace.

Quia viderũt oculi mei salutare tuum,

Quod parasti ante faciem omniũ populorum,

Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israél.

Gloria pr̃i. Sicut erat in principio. añ. Magnũ hæreditatis mysteriũ, templũ dei factus est vterus, nesciens virum. non est pollutus ex ea carnem assumẽs: omnes gentes venient, dicentes, gloria tibi domine. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. ℣. Domine exaudi orationẽ meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

DEus qui salutis æternę beatę Mariæ virginitate fœcunda humano generi præmia pręstitisti, tribue quæsimus, vt ipsã pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus autorem vitæ suscipere dominum nostrum Iesum Christum filium tuum. ℟. Amẽ.

¶ Pro sanctis añ. Sancti dei omnes intercedere dignemini pro nostra omniumq́ salute. ℣. Lætamini in domino, & exultate iusti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde. Oratio.

EXaudi nos deus salutaris noster, & apostolorum tuorum Petri, & Pauli, & aliorum apostolorum nos tuere præsidijs, quorum donasti fideles esse doctrinis. Oratio.

OMnes sancti tui quęsimus domine nos vbiq; adiuuent, vt dum eorũ merita recolimus, patrocinia sentiamus, & pacẽ tuam nostris concede temporibus, & ab ecclesia

tua cunctã repelle nequitiã: iter, actus, & volun tates nostras, & omniũ famulorũ tuorũ in salu= tis tuæ prosperitate dispone: benefactorib9 no= stris sempiterna bona retribue, & omnibus fide libus defunctis requiẽ æternam cõcede, Per do= minũ nostrũ Iesum Christũ filiũ tuũ, qui tecum viuit, & regnat in vnitate spiritus sancti deus, Per omnia secula seculorũ. Amen. Domine ex= audi orationem meã. Et clamor meus ad te ve= niat. Benedicamus domino. Deo gratias. Fide= lium animæ defunctorum per misericordiã dei requiescãt in pace. Amen. Canticũ filiorũ Euæ.

SAlue regina misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salue. Ad te clamamus exu= les filij Euæ. Ad te suspiramus gementes & flẽtes in hac lachrymarum valle. Eia ergo ad= uocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte. Et Iesum benedictũ fructum ven tris tui nobis post hoc exilium ostende. O cle= mens, O pia, O dulcis Maria. ℣. Ora pro nobis sancta dei genitrix. ℟. Vt digni efficiamur pro missionibus Christi. Oratio.

OMnipotẽs sempiterne deus, qui glorio= sæ virginis Mariæ corpus & animam vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur spiritu sancto cooperante præpara= sti: da vt cuius commemoratione lætamur, eius pia intercessione ab instantibus malis, & à mor te perpetua atque subitanea liberemur, Per eun dem Christum dominum nostrum. Psalmus.

DEus misereatur nostri, & benedicat no= bis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri:

Vt cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutare tuum.
Confiteantur tibi populi deus, confiteantur tibi populi omnes.
Lætentur & exultent gentes: quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.
Confiteantur tibi populi deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum.
Benedicat nos deus deus noſter, benedicat nos deus: & metuant eum omnes fines terræ.
Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen. ℣. Domine deus virtutum cōuerte nos. ℟. Et oſtende faciem tuam & ſalui erimus. ℣. Exurge Chriſte adiuua nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

Deus qui illuminas noctē, & lucem poſt tenebras facis, cōcede nobis famulis tuis, vt hanc noctem ſine vllo impedimēto ſatanæ tranſeamus: atque in matutinis horis ad ſanctum altare tuum recurrentes, tibi domino deo viuo & vero laudes, & gratias agamus, Per dominum noſtrum. Oratio.

PRotector in te ſperātium deus, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum: multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, vt te rectore, te duce ſic tranſeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna, Per dominū noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, Qui tecum viuit & regnat deus, Per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Pro fidelibus defunctis Pſalmus.


DE profundis clamaui ad te domine:domine exaudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates obseruaueris domine : domine quis sustinebit?
Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te domine.
Sustinuit anima mea in verbo eius:sperauit anima mea in domino.
A custodia matutina vsq; ad noctem speret Israël in domino.
Quia apud dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.
Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius. ℣. Requiem æternam dona eis domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

DEus qui inter apostolicos sacerdotes famulos tuos pontificali seu sacerdotali fecisti dignitate vigere: præsta quæsimus, vt eorum quoque perpetuo aggregentur consortio,Per. Oratio.

FIdelium deus omnium conditor & redēptor,animabus famulorū, famularumq; tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: vt indulgentiam quam semper optauerunt, pijs supplicationibus cōsequantur, Qui viuis & regnas deus,Per omnia secula seculorum. Amen. Requiescant in pace. Amen.

Sequitur officiū sanctæ crucis. Ad matutinū ℣.

‡



DOmine labia mea aperies. ℟. Et os meũ annunciabit laudem tuã. ℣. Deus in adiutoriũ meũ intẽde ℟. Domine ad adiuuãdũ me feſtina. Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen, añ. Salue

crux precioſa, quæ in ſanguine Chriſti dedicata es,& ex mẽbris ei⁹ tanq̃ margaritis ornata. hy⁹.

PAtris ſapiẽtia veritas diuina, deus homo captus eſt hora matutina, à notis diſcipu lis cito derelictus, à Iudæis traditus, venditus & afflictus. añ. Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi. Quia per ſanctã crucem tuã redemiſti mundum. ℣. Per ſignum ſanctæ crucis. ℟. Liberet nos de inimicis noſtris dominus deus noſter. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte fili dei viui, pone paſſionem tuam crucem, & mortẽ tuã inter iudicium tuum, & animam meam nunc, & in hora mortis meæ, & mihi largiri digneris gratiam & miſericordiam, viuis & defun ctis requiem & veniam, eccleſiæ tuæ pacem & concordiam, nobis peccatoribus vitam & gratiam ſempiternam, Qui cũ patre & ſpiritu ſancto viuis & regnas deus, Per omnia ſecula ſecu lorum. Amen. ❡ Ad primam Verſus.

DEus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto. Sicut erat in principio. añ. Salue crux precioſa, quæ in ſanguine Chriſti dedicata es, & ex mem bris eius tãquam margaritis ornata. Hymnus.

HOra prima ductus eſt Ieſus ad Pilatũ, à falſis teſtibus multum accuſatum colaphis percutiunt, & manibus ligatũ: vul tum dei conſpuunt lumen cæli gratũ: añ. Adoramus te Chriſte & benedicimus tibi. Quia per ſanctã crucẽ tuã redemiſti mundũ. ℣. Per ſignũ

ſanctę crucis. ℟. Liberet nos de inimicis noſtris dominus deus noſter. Domine exaudi orationē meam. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte fili dei viui, pone paſſionē tuā crucem, & mortem tuā inter iudiciū tuum, & animā meā nūc, & in hora mortis meę, & mihi largiri digneris gratiam & miſericordiā, viuis & defunctis requiem & veniā, eccleſiæ tuæ pacem & concordiā, nobis peccatoribus vitā & gratiam ſempiternā, Qui cū patre & ſpiritu ſancto vi. &c. ❡Ad tertiā ℣.

DEus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto. Sicut erat in principio. añ. Salue crux precioſa, quæ in ſanguine Chriſti dedicata es, & ex membris eius tāquam margaritis ornata. Hymnus.

CRucifige crucifige clamitāt hora tertia, illuſus induitur veſte purpurea, caput eius pungitur corona ſpinea, crucē portat humeris ad locum pœnarum. añ. Adoramus te Chriſte & benedicimus tibi. Quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum. ℣. Per ſignū ſanctæ crucis. ℟. Liberet nos de inimicis noſtris dominus deus noſter. Domine exaudi orationē meā. Et clamor meus ad te veniat. Oratio

DOmine Ieſu Chriſte fili dei viui, pone paſſionē tuā crucem, & mortem tuā inter iudiciū tuum, & animā meā nūc, & in hora mortis meę, & mihi largiri digneris gratiam & miſericordiā, viuis & defunctis requiē & veniā, eccleſiæ tuæ pacem & concordiā, nobis peccatoribus vitam & gratiā ſempiternā, Qui

cũ patre & ſpiritu ſancto vi. ¶ Ad ſextã Verſus

DEus in adiutoriũ meũ intẽde. ℟. Dñe ad adiuuandũ me feſtina. Gloria patri. Sicut erat in principio. añ. Salue crux precioſa, quæ in ſanguine Chriſti dedicata es, & ex mẽbris eius tanq̃ margaritis ornata. hymn⁹.

HOra ſexta dominus Ieſus eſt cruci cõclauatus, & cũ latronibus pendẽs deputatus, prę tormẽtis ſitiens felle ſaturatus, agnus crimen diluẽs ſic ludificatus. añ. Adoramus te Chriſte & benedicimus tibi. Quia per ſãctã crucẽ tuam redemiſti mundũ. ℣. Per ſignũ ſanctæ crucis. ℟. Liberet nos de inimicis noſtris dominus deus noſter. Domine exaudi orationẽ meã. Et clamor meus ad te veniat. Oratio

DOmine Ieſu Chriſte fili dei viui, pone paſſionem tuã crucem, & mortẽ tuam inter iudiciũ tuũ, & animã meã nũc, & in hora mortis meę, & mihi largiri digneris gratiam & miſericordiã, viuis & defunctis requiẽ & veniã, eccleſiæ tuæ pacem & concordiã, nobis peccatoribus vitã & gratiam ſempiternã, Qui cũ patre & ſpiritu ſancto vi. ¶ Ad nonã Verſus

DEus in adiutoriũ meũ intẽde. ℟. Domine ad adiuuandũ me feſtina. Gloria pr̃i. Sicut erat in principio. añ. Salue crux precioſa, quæ in ſanguine Chriſti dedicata es, & ex mẽbris eius tanq̃ margaritis ornata. hymn⁹.

HOra nona dominus Ieſus expirauit, heli clamans, animã patri cõmendauit, latus eius lãcea miles perforauit, terra tũc contremuit, & ſol obſcurauit. añ. Adoramus te Chriſte & benedicimus tibi. Quia per ſanctam

crucem tuā redemisti mundum. ℣. Per signum sanctæ crucis, ℞. Liberet nos de inimicis nostris dominus deus noster. Domine exaudi orationē meā. Et clamor meus ad te veniat. Oratio

DOmine Iesu Christe fili dei viui, pone passionem tuā crucem, & mortē tuam inter iudiciū tuū, & animā meā nūc, & in hora mortis meę, & mihi largiri digneris gratiam & misericordiā, viuis & defunctis requiē & veniā, ecclesiæ tuæ pacem & concordiā, nobis peccatoribus vitam & gratiā sempiternā, Qui cū patre & spiritu sancto vi. ¶ Ad vesperas ℣.

DEus in adiutorium meum intende. ℞. Domine ad adiuuandum me festina. Gloria patri, & filio, & spiritui sancto. Sicut erat in principio. añ. Salue crux preciosa, quæ in sanguine Christi dedicata es, & ex membris eius tāquam margaritis ornata. Hymnus.

DE cruce deponitur hora vespertina, fortitudo latuit in mente diuina, talē mortem subijt vitæ medicina. heu corona gloriæ, iacuit supina. añ. Adoramus te Christe & benedicimus tibi. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum. ℣. Per signum sanctæ crucis, ℞. Liberet nos de inimicis nostris dominus deus noster. Domine exaudi orationē meam. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

DOmine Iesu Christe fili dei viui, pone passionem tuā crucem, & mortē tuam inter iudiciū tuū, & animā meā nūc, & in hora mortis meę, & mihi largiri digneris gratiam & misericordiā, viuis & defunctis requiē & veniā, ecclesiæ tuæ pacem & concordiā, nobis

peccatoribus vitam, & gratiã sempiternã, Qui cũ patre & spiritu sãcto vi. ℭ Ad cõpletoriũ ℣.


C Onuerte nos deus salutaris noster. ℟. Et auerte iram tuam à nobis. ℣. Deus in adiutorium meũ intende. ℟. Domine ad adiuuandũ me festina. Gloria patri, & filio. Sicut erat in principio. añ. Salue crux preciosa, quę in sanguine Christi dedicata es, & ex mẽbris eius tãquam margaritis ornata. Hymnus.

H Ora completorij datur sepulturæ, corpus Christi nobile spes vitæ futuræ, cõditur aromate, cõplentur scripturæ, iugis sit memoria mortis tuę durę. añ. Adoramus te Christe & benedicimus tibi. Quia per sanctã crucem tuã redemisti mundum. ℣. Per signum sanctæ crucis. ℟. Liberet nos de inimicis nostris dominus deus noster. Domine exaudi orationẽ meã. Et clamor meus ad te veniat. Oratio

D Omine Iesu Christe fili dei viui, pone passionem tuã crucem, & mortẽ tuam inter iudiciũ tuũ, & animã meã nũc, & in hora mortis meę, & mihi largiri digneris gratiam & misericordiã, viuis & defunctis requiẽ & veniã, ecclesię tuæ pacem & concordiã, nobis peccatoribus vitã & gratiam sempiternã, Qui cũ patre & spiritu sancto viuis. ℭ Cõmendatio.

H As horas canonicas cum deuotione, tibi Christe recolo pia ratione, vt qui pro me passus es amoris ardore, sis mihi solatium mortis in agone. Amen.

ℭ Sequitur officium de sancto spiritu. Ad matutinum Versus.



DOmine labia mea aperies. ℞.Et os meũ annunciabit laudem tuã. ℣.Deus in adiutoriũ meũ intẽde ℞.Domine ad adiuuãdũ me fe= ſtina. Gloria patri,& filio,& ſpiritui ſancto. Sicut erat in principio,& nũc,& ſemper,& in ſecula ſeculorum. Amen. Alleluia. hy9.

NObis sancti spiritus gratia sit data, de qua virgo virginũ fuit obumbrata, cum per sanctũ angelũ fuit salutata, verbum caro factũ est virgo fœcundata. añ. Veni sancte spiritus reple tuorũ corda fidelium & tui amoris in eis ignem accẽde. ℣. Emitte spiritũ tuum, & creabũtur. ℟. Et renouabis faciẽ terræ. Oro.

OMnipotens sempiterne deus, da nobis illam sancti spiritus gratiam, quam discipulis tuis in die sancto pentecostês trãsmisisti, Qui viuis & re. ¶ Ad primã Versus.

DEus in adiutorium meum intende. ℟.
Domine ad adiuuandum me festina.
Gloria patri. Sicut erat &c. Hymnus.

DE virgine Maria Christus fuit natus, crucifixus, mortuus, atq; tumulatus, resurgẽs discipulis fuit demõstratus, & ipsis cernẽtibus in cælis eleuatus. añ. Veni sancte spiritus reple tuorũ corda fideliũ, & tui amoris in eis ignem accende. ℣. Emitte spiritum tuum, & creabũtur. ℟. Et renouabis faciẽ terræ. Oratio.

OMnipotens sempiterne deus, da nobis illam sancti spiritus gratiam, quam discipulis tuis in die sancto pentecostês trãsmisisti, Qui viuis & reg. ¶ Ad tertiã Versus

DEus in adiutorium meum intende. ℟.
Domine ad adiuuandum me festina.
Gloria patri. Sicut erat &c. Hymnus.

SVum sanctum spiritum deus delegauit, in die pentecostês apostolos cõfortauit, & de linguis igneis ipsos inflammauit, relinquere orphanos eos, denegauit. añ. Veni sancte spiritus reple tuorũ corda fideliũ & tui amoris

GEOFROY TORY. SIC VT NON PLS

in eis ignem accende℣. Emitte ſpiritum tuũ,& creabũtur.℟. Et renouabis faciẽ terræ. Oratio.

OMnipotens ſempiterne deus, da nobis illam ſanctі ſpiritus gratiam, quam diſcipulis tuis in die ſancto pentecoſtês trãſmiſiſti, Qui viuis & reg. ¶Ad ſextã Verſus

DEus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria patri. Sicut erat &c. Hymnus.

SEptiformem gratiã, tunc acceptauerunt, quare idiomata cũcta cognouerũt, ad diuerſa climata mundi receſſerunt, & fidem catholicam tunc prædicauerũt. añ. Veni ſancte ſpiritus reple tuorũ corda fidelium & tui amoris in eis ignem accẽde℣. Emitte ſpiritũ tuũ, & creabũtur.℟. Et renouabis faciẽ terræ. Oratio.

OMnipotens ſempiterne deus, da nobis illam ſancti ſpiritus gratiam, quam diſcipulis tuis in die ſancto pentecoſtês trãſmiſiſti, Qui viuis & reg. ¶Ad nonã Verſus.

DEus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria patri. Sicut erat &c. Hymnus.

SPiritus paracletus fuit appellatus, donũ dei charitas fons viuificatus, ſpiritalis vnctio, ignis inflammatus, ſeptiformis gratiæ chariſma vocatus. añ. Veni ſancte ſpiritus reple tuorum corda fideliũ & tui amoris in eis ignem accende. ℣. Emitte ſpiritum tuum & creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terræ. Oratio.

OMnipotens ſempiterne deus, da nobis illam ſancti ſpiritus gratiam, quam diſcipulis tuis in die ſancto pentecoſtês

transmisisti, Qui viuis & reg. ℭ Ad vesperas ℣.

DEus in adiutorium meum intende. ℞. Domine ad adiuuandum me festina. Gloria patri. Sicut erat &c. Hymnus.

DExtræ dei digitus virtus spiritalis, nos defendat, eruat ab omnib⁹ malis, vt nobis non noceat dæmon infernalis, sed protegat, nutriat, foueat sub alis. añ. Veni sancte spiritus reple tuorũ corda fideliũ & tui amoris in eis ignem accẽde. ℣. Emitte spiritũ tuũ, & creabũtur. ℞. Et renouabis faciẽ terræ. Oratio.


OMnipotens sempiterne deus, da nobis illam sancti spiritus gratiam, quam discipulis tuis in die sancto pentecostês trãsmisisti, Qui viuis & reg. ℭ Ad cõpletoriũ ℣.

COnuerte nos de⁹ salutaris noster. ℞. Et auerte irã tuã à nobis. ℣. Deus in adiu ℞. Dñe ad adiuuã. Gloria patri. Hy⁹.

SPiritus paracletus nos velit iuuare, gressus nostros regere, & illuminare, vt cum deus venerit omnes iudicare, nos velit ad dexteram suã oẽs appellare. añ. Veni sancte spiritus reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. ℣. Emitte spiritum tuũ, & creabuntur. ℞. Et renouabis faciẽ terræ. Oratio

OMnipotens sempiterne deus, da nobis illam sancti spiritus gratiam, quam discipulis tuis in die sancto pentecostês transmisisti, Qui viuis & reg. ℭ Commendatio.

HAs horas canonicas cum deuotione, tibi sancte spiritus pia ratione dixi, vt nos visites inspiratione, & viuamus iugiter in cæli regione. Amen.



¶Sequuntur ſeptem pſalmi pœnitentiales. añ.
Ne reminiſcaris. Pſalmus.

DOmine, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Miſerere mei domine, quoniam infirmus ſum: ſana me domine, quoniã cõturbata ſunt oſſa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu domine vsquequo?
Conuertere domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.
Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?
Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.
Turbatus est à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.
Discedite à me omnes qui operamini iniquitatē: quoniā exaudiuit dominus vocē fletus mei,
Exaudiuit dominus deprecationem meam, dominus orationem meam suscepit.
Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubescant valde velociter.
Gloria patri, & filio, & spiritui sancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen. Psalmus.
Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.
Beatus vir cui non imputauit dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.
Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea dum clamarem tota die.
Quoniā die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina.
Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi.
Dixi, confitebor aduersum me iniustitiā meam

domino : & tu remisisti impietatē peccati mei.
Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno.
Verũtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.
Tu es refugium meum à tribulatione quæ circúndedit me: exultatio mea erue me à circundantibus me.
Intellectum tibi dabo & instruam te in via hac qua gradiêris: firmabo super te oculos meos.
Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.
In chamo & freno maxillas eorum constringe qui non approximant ad te.
Multa flagella peccatoris: sperantem autem in domino misericordia circúndabit.
Lætamini in domino & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde.
Gloria patri. Sicut erat in principio. Psalmus.
DOmine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me:
Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.
Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuę, nõ est pax ossibus meis à facie peccatorũ meorum:
Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.
Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.
Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem, tota die contristatus ingrediebar:
Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus,

& non eſt ſanitas in carne mea.
A fflictus ſum & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.
Domine, ante te omne deſyderium meum: & gemitus meus à te non eſt abſconditus.
C or meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.
A mici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt:
E t qui iuxta me erant delonge ſteterũt: & vim faciebant qui quærebant animam meam.
E t qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.
E go autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum.
E t factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.
Quoniam in te domine ſperaui, tu exaudies me domine deus meus,
Quia dixi, nequando ſupergaudeant mihi inimici mei. & dum commouentur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt.
Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.
Quoniam iniquitatem meã annunciabo: & cogitabo pro peccato meo.
I nimici autẽ mei viuũt, & cõfirmati ſunt ſuper me: & multiplicati ſunt qui oderunt me inique.
Qui retribuunt mala pro bonis detrahebãt mihi: quoniam ſequebar bonitatem.
N e derelinquas me domine deus meus: ne diſceſſeris à me.

Intende in adiutorium meum domine deus ſa lutis meæ.
Gloria patri,& filio,& ſpiritui ſancto.
Sicut erat in principio,& nunc,& ſemper,& in ſecula ſeculorum. Amen. Pſalmus.

MIſerere mei deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.
Et ſecundum multitudinem miſera-tionum tuarum dele iniquitatem meam.
Amplius laua me ab iniquitate mea:& à pecca to meo munda me:
Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco,& peccatum meum contra me eſt ſemper.
Tibi ſoli peccaui,& malũ corã te feci:vt iuſtifi-ceris in ſermonibus tuis, & vincas cũ iudicaris.
Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.
Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta & occul-ta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.
Aſperges me domine hyſſòpo,& mundabor:la uabis me,& ſuper niuem dealbabor.
Auditui meo dabis gaudiũ & lætitiam:& exul tabunt oſſa humiliata.
Auerte faciem tuam à peccatis meis:& omnes iniquitates meas dele.
Cor mundum crea in me deus: & ſpiritum re-ctum innoua in viſceribus meis.
Ne proijcias me à facie tua:& ſpiritum ſanctũ tuum ne auferas à me.
Redde mihi lætitiã ſalutaris tui:& ſpiritu prin cipali confirma me.
Docebo iniquos vias tuas : & impij ad te con-uertentur.

Libera me de ſanguinibus deus deus ſalutis meæ:& exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.
Domine, labia mea aperies:& os meum annunciabit laudem tuam.
Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem: vtique holocauſtis non delectaberis.
Sacrificium deo, ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum deus non deſpicies.
Benigne fac domine in bona voluntate tua Siôn: vt ædificentur muri Hieruſalém.
Tũc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes & holocauſta: tunc imponẽt ſuper altare tuum vitulos.
Gloria patri. Sicut erat in principio. Pſalmus.
Domine exaudi orationem meam:& clamor meus ad te veniat.
Nõ auertas faciem tuam à me in quacunq; die tribulor: inclina ad me aurem tuam.
In quacunq; die inuocauero te: velociter exaudi me.
Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.
Percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.
A voce gemit⁹ mei, adhæſit os meũ carni meæ.
Similis factus ſum pelicano ſolitudinis: factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.
Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.
Tota die exprobrabãt mihi inimici mei: & qui laudabant me, aduerſum me iurabant:
Quia cinerem tanquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miſcebam

‡

A facie iræ indignationis tuæ: quia eleuans allisisti me.
D ies mei sicut vmbra declinauerunt:& ego sicut fœnum arui.
T u autem domine in æternū permanes:& memoriale tuum in generatione & generationem.
T u exurgens domine, misereberis Sión : quia tempus miserendi eius,quia venit tempus.
Q uoniam placuerunt seruis tuis lapides eius: & terræ eius miserebuntur.
E t timebunt gentes nomen tuum domine : & omnes reges terræ gloriam tuam.
Q uia ædificauit dominus Sión:& videbitur in gloria sua.
R espexit in orationem humilium:& non spreuit precem eorum.
S cribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur laudabit dominum,
Q uia prospexit de excelso sancto suo,dominus de cælo in terram aspexit:
V t audiret gemitus compeditorum,vt solueret filios interemptorum:
V t annuncient in Sión nomen domini, & laudem eius in Hierusalém,
I n conueniendo populos in vnum, & reges vt seruiant domino.
R espondit ei in via virtutis suæ,paucitatē dierum meorum nuncia mihi.
N e reuoces me in dimidio dierum meorum in generatione & generationem anni tui.
I nitio tu domine terram fundasti:& opera manuum tuarum sunt cæli.
I psi peribunt,tu autem permanes:& omnes si-

cut veſtimentum veteraſcent.
Et ſicut opertoriū mutabis eos,& mutabūtur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficiēt.
Filij ſeruorum tuorum habitabūt,& ſemen eorum in ſeculum dirigetur.
Gloria patri. Sicut erat in principio. Pſalmus.
DE profundis clamaui ad te domine:domine exaudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates obſeruaueris domine : domine quis ſuſtinebit?
Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te domine.
Suſtinuit anima mea in verbo eius:ſperauit anima mea in domino.
A cuſtodia matutina vſq; ad noctem ſperet Iſraël in domino.
Quia apud dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.
Et ipſe redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus eius.
Gloria patri. Sicut erat in principio.Pſalmus.
DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua:exaudi me in tua iuſtitia.
Et non intres in iudiciū cū ſeruo tuo:quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.
Quia perſecutus eſt inimicus animam meam: humiliauit in terra vitam meam.
Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſeculi:& anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus,in me turbatum eſt cor meum.

Memor fui dierum antiquorũ, meditatus ſum in omnibus operibus tuis:in factis manuũ tuarum meditabar.
Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.
Velociter exaudi me dñe:defecit ſpiritus meus.
Non auertas faciem tuam à me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.
Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam: quia in te ſperaui.
Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.
Eripe me de inimicis meis domine,ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam quia deus meus es tu.
Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam:propter nomen tuum domine viuificabis me in æquitate tua.
Educes de tribulatione animã meã:& in miſericordia tua diſperdes omnes inimicos meos.
Et perdes omnes qui tribulãt animam meam: quoniam ego ſeruus tuus ſum.
Gloria patri,& filio,& ſpiritui ſancto.
Sicut erat in principio,& nunc,& ſemper,& in ſecula ſeculorũ.Amen. añ.Ne reminiſcaris domine delicta noſtra, vel parẽtum noſtrorũ,neq; vindictam ſumas de peccatis noſtris.parce dñe parce populo tuo,quem redemiſti precioſo ſanguine tuo,ne in æternũ iraſcaris nobis. Litania

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſõ. Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis deus, Miſerere noſtri.
Fili redemptor mundi deus, Miſerere noſtri.

Spiritus ſancte deus, Miſerere noſtri.
Sancta trinitas vnus deus, Miſerere noſtri.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta dei genitrix, ora pro nobis.
Sancta virgo virginum, ora pro nobis.
Sancte Michaél, ora pro nobis.
Sancte Gabriél, ora pro nobis.
Sancte Raphaél, ora pro nobis.
Oēs ſancti angeli,& archãgeli,orate pro nobis.
Omnes ſancti beatorum ſpirituum ordines, orate pro nobis.
Sancte Ioannes Baptiſta, ora pro nobis.
Omnes ſancti patriarchæ, & prophetæ, orate pro nobis.
Sancte Petre, Ora pro nobis.
Sancte Paule, ora pro nobis.
Sancte Andrea, ora pro nobis.
Sancte Iacôbe, ora pro nobis.
Sancte Ioannes, ora pro nobis.
Sancte Thoma, ora pro nobis.
Sancte Iacôbe, ora pro nobis.
Sancte Philippe, ora pro nobis.
Sancte Bartholomæe, ora pro nobis.
Sancte Matthæe, ora pro nobis.
Sancte Simon, ora pro nobis.
Sancte Thaddæe, ora pro nobis.
Sancte Matthia, ora pro nobis.
Sancte Barnaba, ora pro nobis.
Sancte Luca, ora pro nobis.
Sancte Marce, ora pro nobis.
Omnes ſancti apoſtoli,& euãgeliſtæ,orate pro nobis.
Omnes ſãcti diſcipuli domini,orate pro nobis.

Omnes ſancti innocentes, orate pro nobis.
Sancte Stéphane, ora pro nobis.
Sancte Laurenti, ora pro nobis.
Sancte Vincenti, ora pro nobis.
Sancte Fabiane, ora pro nobis.
Sancte Sebaſtiane, ora pro nobis.
Sancte Blaſi, ora pro nobis.
Sancte Ioannes & Paule, orate pro nobis.
Sancte Coſma & Damiane, orate pro nobis.
Sancte Geruaſi & Protaſi, orate pro nobis.
Omnes ſancti martyres, orate pro nobis.
Sancte Silueſter, ora pro nobis.
Sancte Gregori, ora pro nobis.
Sancte Martine, ora pro nobis.
Sancte Auguſtine, ora pro nobis.
Sancte Ambroſi, ora pro nobis.
Sancte Hieronyme, ora pro nobis.
Sancte Nicolae, ora pro nobis.
Oēs ſancti pōtifices,& cōfeſſores,orate pro no.
Omnes ſancti doctores, orate pro nobis.
Sancte Benedicte, ora pro nobis.
Sancte Franciſce, ora pro nobis.
Sancte Antoni, ora pro nobis.
Sancte Dominice, ora pro nobis.
Oēs ſācti monachi,& eremitę,orate pro nobis.
Oēs ſācti ſacerdotes,& leuitæ,orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena, ora pro nobis.
Sancta Agnes, ora pro nobis.
Sancta Lucia, ora pro nobis.
Sancta Cæcilia, ora pro nobis.
Sancta Agatha, ora pro nobis.
Sancta Caterina, ora pro nobis.
Sancta Barbara, ora pro nobis.

Sancta Margareta, ora pro nobis.
Sancta Clara, ora pro nobis.
Sancta Apollonia, ora pro nobis.
Sancta Helizábet, ora pro nobis.
Oēs ſanctę virgines,& viduæ,orate pro nobis.
Oēs ſancti,& ſanctę dei,intercedite pro nobis.
Propitius eſto,parce nobis domine.
Propitius eſto,exaudi nos domine.
Ab omni malo,libera nos domine.
Ab omni peccato,libera nos domine.
Ab ira tua,libera nos domine.
A ſubitanea & improuiſa morte,libera nos dñe.
Ab inſidijs diaboli,libera nos domine.
Ab ira & odio,& omni mala volūtate,lib. n. d.
A ſpiritu fornicationis,libera nos domine.
A fulgure & tempeſtate,libera nos domine.
A morte perpetua,libera nos domine.
Per myſterium ſanctæ incarnationis tuæ, libera nos domine.
Per aduentum tuum,libera nos domine.
Per natiuitatem tuam,libera nos domine.
Per baptiſmum,& ſanctum ieiunium tuum,libera nos domine.
Per crucē & paſſionem tuā,libera nos domine.
Per mortē & ſepulturā tuā,libera nos domine.
Per ſanctā reſurrectionem tuā, libera nos dñe.
Per admirabilē aſcēſionem tuā, libera nos dñe.
Per aduentum ſancti ſpiritus paradeti, libera nos domine.
In die iudicij,libera nos domine.
Peccatores,te rogamus audi nos.
Vt nobis parcas,te rogamus audi nos.
Vt nobis indulgeas,te rogamus audi nos.

Vt ad veram pœnitentiã nos perducere digneris,te rogamus audi nos.
Vt ecclesiam tuam sanctam regere & conseruare digneris,te rogamus audi nos.
Vt dominum apostolicum,& omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione cõseruare digneris,te rogamus audi nos.
Vt regib9,& principib9 christianis,pacẽ & verã cõcordiã donare digneris,te rogamus audi nos.
Vt nosmetipsos in tuo sancto seruitio confortare & conseruare digneris,te rogamus audi nos.
Vt cũcto populo christiano pacem & vnitatem largiri digneris,te rogamus audi nos.
Vt mentes nostras ad cælestia desyderia erigas, te rogamus audi nos.
Vt omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,te rogamus audi nos.
Vt animas nostras,fratrum, propinquorum,& benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias,te rogamus audi nos.
Vt fructus terrę,dare,& conseruare digneris,te rogamus audi nos.
Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris,te rogamus audi nos.
Vt nos exaudire digneris,te rogamus audi nos.
Fili dei,te rogamus audi nos.
Fili dei,te rogamus audi nos.
Fili dei,te rogamus audi nos.
Agnus dei,qui tollis peccata mundi,parce nobis domine.
Agnus dei,qui tollis peccata mũdi,exaudi nos domine.
Agnus dei, qui tollis peccata mundi, miserere

noſtri. Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos indu. Sed libera nos. Pſalmus.

DEus in adiutorium meum intende: domine ad adiuuandum me, feſtina.

Confundantur & reuereãtur qui quærunt animam meam.

Auertantur retrorſum & erubeſcant qui volũt mihi mala.

Auertantur ſtatim erubeſcentes qui dicunt mihi, euge euge.

Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant ſemper, magnificetur dominus: qui diligunt ſalutare tuum.

Ego vero egenus & pauper ſũ: de9 adiuua me.

Adiutor meus & liberator meus es tu: domine ne moréris.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorũ. Amen. ℣. Saluos fac ſeruos tuos. ℟. Deus meus ſperantes in te. ℣. Eſto nobis domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣ Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. ℣. Domine non ſecũdum peccata noſtra facias nobis. ℟. Neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis. ℣. Oremus pro papa noſtro. ℟. Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animã inimicorum eius. ℣. Oremus pro benefactoribus noſtris. ℟. Retribuere dignare domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen ſanctum tuum vitam æternam. amen. ℣. Ore-

mus pro fidelibus defunctis. ℟. Requiem æter nã dona eis domine, & lux perpetua luceat eis. ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen. ℣. Pro fratribus nostris absentibus. ℟. Saluos fac seruos tuos, deus meus sperantes in te. ℣. Mitte eis domine auxilium de sancto. ℟. Et de Siòn tuere eos. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oremus. Oratio.

DEus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, vt nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absoluat. Oratio.

EXaudi quæsimus domine supplicũ preces, & confitentium tibi parce peccatis: vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, & pacem. Oratio.

INeffabilem nobis domine misericordiam tuam clementer ostende: vt simul nos, & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias. Oratio.

DEus qui culpa offenderis, pœnitẽtia placaris, preces populi tui supplicãtis propitius respice, & flagella tuæ iracũdiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte. Orõ

OMnipotens sempiterne deus miserere famuli tui papæ nostri, & dirige eum secundum tuam clemẽtiam in viam salutis æternæ, vt te donante, tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat. Oratio.

DEus à quo sancta desyderia, recta consilia, & iusta sunt opera, da seruis tuis illam, quam mũdus dare non potest pa-

cem,vt & corda nostra mandatis tuis dedita,& hostium sublata formidine,tēpora sint tua protectione tranquilla. Oratio.


VRe igne sancti spiritus renes nostros, & cor nostrū domine, vt tibi casto corpore seruiamus, & mundo corde placeamus. Oratio.

FIdelium deus omnium cōditor & redemptor, animabus famulorū famularumqꝫ tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorū,vt indulgētiam,quam semper optauerūt,pijs supplicationibus cōsequantur. Orō.

ACtiones nostras quæsimus domine aspirando præueni,& adiuuando prosequere,vt cuncta nostra oratio,& operatio à te semper incipiat,& per te cœpta finiatur. orō

OMnipotens sempiterne deus,qui viuorum dominaris simul & mortuorū,omniumqꝫ misereris,quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis, te suppliciter exoramus, vt pro quib9 effūdere preces decreuimus, quósqꝫ vel præsens seculum adhuc in carne retinet,vel futurū iam exutos corpore suscepit, intercedētibus omnibus sanctis tuis pietatis tuæ clemētia omnium delictorum suorum veniam consequantur,Per dominum. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Benedicamus domino. ℟. Deo gratias. ℣. Fidelium animæ defunctorum per misericordiam dei requiescant in pace. ℟. Amen.

¶ Sequitur officium pro defunctis. Ad vesperas añ. Placebo domino. Psalmus.



DIlexi quoniã exaudiet dominus
vocem orationis meæ.
Quia inclinauit aurem suam mi
hi:& in diebus meis inuocabo.
Circundederũt me dolores mor
tis:& pericula inferni inuenerunt me.
Tribulationẽ & dolorem inuêni: & nomen do-

mini inuocaui.
O domine libera animam meam:misericors do minus,& iustus,& deus noster miseretur.
C ustodiēs paruulos dominus:humiliatus sum, & liberauit me.
C onuertere anima mea in requiem tuam:quia dominus benefecit tibi.
Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis:pedes meos à lapsu.
P lacebo domino in regione viuorum.
Requiem æternam dona eis domine,& lux per petua luceat eis.añ. Placebo domino in regione viuorum.añ. Hei mihi. Psalmus.

AD dominum cum tribularer clamaui:& exaudiuit me.
D omine libera animam meam à labijs iniquis,& à lingua dolosa.
Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad lin guam dolosam?
S agittæ potentis acutæ:cum carbonibus deso latorijs.
H ei mihi quia incolatus meus prolongatus est: habitaui cum habitantibus Cedár,multum in cola fuit anima mea.
C um his qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.
R equiē æternā dona eis domine, & lux perpe tua luceat eis.añ. Hei mihi,quia incolatus me9 prolongatus est.añ. Dominus. Psalmus.

LEuaui oculos meos in montes: vnde ve niet auxilium mihi.
A uxilium meū à domino: qui fecit cæ lum & terram.

Non det in commotionem pedem tuum: neq; dormitet qui custodit te.
Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israél.
Dominus custodit te, dominus protectio tua super manum dexteram tuam.
Per diem sol non vret te: neq; luna per noctem.
Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam dominus.
Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum ex hoc nunc & vsque in seculum.
Requiē æternā dona eis domine, & lux. añ. Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuā dominus. añ. Si iniquitates Psalmus.

DE profundis clamaui ad te domine: domine exaudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates obseruaueris domine: domine quis sustinebit?
Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te domine.
Sustinuit anima mea in verbo eius: sperauit anima mea in domino.
A custodia matutina vsq; ad noctem speret Israél in domino.
Quia apud dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.
Et ipse redimet Israél ex omnibus iniquitatibus eius.
Requiē æternā dona eis domine, & lux. añ. Si iniquitates obseruaueris domine, domine quis sustinebit? añ. Opera manuum. Psalmus.

Confitebor tibi dñe in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei.
In conspectu angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo
Super misericordia tua & veritate tua: quoniã magnificasti super omne nomen, sanctũ tuum.
In quacunq; die inuocauero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.
Confiteantur tibi domine omnes reges terræ: quia audierunt omnia verba oris tui.
Et cantent in vijs domini quoniam magna est gloria domini,
Quoniã excelsus dominus & humilia respicit: & alta à longe cognoscit.
Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me: & super iram inimicorũ meorum extendisti manũ tuam, & saluũ me fecit dextera tua.
Dominus retribuet pro me, domine misericordia tua in seculum: opera manuum tuarum ne despicias.
Requiem ęternã dona eis domine, & lux perpetua luceat eis. añ. Opera manuũ tuarũ dñe ne despicias. ℣. Audiui vocem de cælo dicentẽ mihi. ℟. Beati mortui qui in domino moriuntur.
añ. Omne. **Canticum beatæ Mariæ virginis.**

Magnificat anima mea dominum.
Et exultauit spiritus meus in deo salutari meo,
Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatã me dicẽt omnes generationes,
Quia fecit mihi magna qui potens est: & sanctum nomen eius.

Et mi ſericordia eius à progenie in progenies, ti mentibus eum.
Fecit potẽtiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.
Depoſuit potẽtes de ſede, & exaltauit humiles.
E ſurientes impleuit bonis: & diuites dimiſit inanes.
S uſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ
S icut locutus eſt ad patres noſtros Abrahám, & ſemini eius in ſecula.
Requiem ęternam dona eis domine, & lux. añ. Omne quod dat mihi pater ad me veniet, & eũ qui venit ad me, non eijciam foras. Deinde dicitur Pater noſter. Et ne nos. Sed libe. Pſalmus.

LAuda anima mea dominũ: laudabo dominum in vita mea, pſallam deo meo q̃ diu fuero.
N olite confidere in principibus: in filijs hominûm, in quibus non eſt ſalus.
E xibit ſpiritus eius, & reuertetur in terrã ſuã: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.
B eatus cuius deus Iacòb adiutor eius, ſpes eius in domino deo ipſius: qui fecit cælum & terrã: mare & omnia quæ in eis ſunt.
Qui cuſtodit veritatem in ſeculum, facit iudiciũ iniuriam patientibus: dat eſcam eſurientibus.
D ominus ſoluit compeditos: dominus illuminat cæcos.
D ominus erigit eliſos: dominus diligit iuſtos.
D ominus cuſtodit aduenas, pupillũ & viduam ſuſcipiet: & vias peccatorum diſperdet.
Regnabit dominus in ſecula deus tuus Sión, in

generatione & generationem.

Requiem æternam dona. ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

DEus qui inter apostolicos sacerdotes famulos tuos põtificali, seu sacerdotali fecisti dignitate vigere, præsta quæsimus, vt eorũ quoq; perpetuo aggregentur consortio.

DEus veniæ largitor, & humanæ salutis amator, quæsimus clementiam tuam, vt nostræ congregationis fratres, sorores, propinquos, & benefactores nostros, qui ex hoc seculo transierũt, beata Maria semper virgine intercedẽte cũ omnibus sanctis, ad perpetuę beatitudinis cõsortiũ peruenire concedas. Orõ.

FIdelium deus omnium cõditor & redemptor, animabus famulorũ famularumq; tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorũ, vt indulgẽtiam, quam semper optauerunt, pijs supplicationibus cõsequantur, Qui viuis, & regnas cum deo patre in vnitate spiritus sancti de⁹, Per omnia secula seculorum. ℟. Amen. ℣. Requiem æternam dona eis domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis. ℣. Requiescãt in pace. ℟. Amen. ¶ Ad matutinũ inuitatorium. Regem cui omnia viuũt, Venite adoremus. ps̃.

VEnite, exultemus dño, iubilemus deo salutari nostro: præoccupemus faciem eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei. Regẽ cui oĩa viuunt, Venite adoremus. Quoniam deus magnus dominus, & rex magnus super omnes deos: quoniam non repellet dominus plebem suam, quia in manu eius sunt

omnes fines terræ, & altitudines montium ipse conspicit. Venite adoremus.

Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius. venite, adoremus, & procidamus ante deũ, ploremus coram domino qui fecit nos: quia ipse est dominus de9 noster, nos autem populus eius, & oues pascuæ eius. Regẽ cui omnia viuũt, Venite adoremus.

Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, vbi tentauerũt me patres vestri. probauerunt, & viderunt opera mea. Venite adoremus.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi, semper hi errãt corde. ipsi vero nõ cognouerũt vias meas, quib9 iuraui in ira mea, si introibunt in requiẽ meã. Regem cui omnia.

Requiem æternam dona eis domine, & lux perpetua luceat eis. Regem cui omnia viuunt, Venite adoremus. ¶ Et nota ꝙ prędictus psalmus cũ suo inuitatorio, nõ dicitur nisi in festo cõmemorationis defunctorũ, & in obitu fratrum & sororum. In alijs vero diebus, dicitur vt sequitur. In primo nocturno añ. Dirige. Psalmus.

VErba mea auribus percipe domine: intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ rex meus & deus meus,

Quoniam ad te orabo domine: mane exaudies vocem meam.

Mane astabo tibi & videbo: quoniam nõ deus volens iniquitatem tu es.

Neq; habitabit iuxta te malignus: neque per-

manebunt iniusti ante oculos tuos.

O disti omnes qui operantur inquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Virũ sanguinũ & dolosum abominabitur dominus: ego autẽ in multitudine misericordiæ tuæ

Introibo in domum tuam, adorabo ad templũ sanctum tuum in timore tuo.

Domine deduc me in iustitia tua propter inimicos meos: dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant. iudica illos deus.

Decidant à cogitationibus suis: secũdum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te domine.

Et lætentur omnes qui sperant in te: in æternũ exultabunt, & habitabis in eis.

Et gloriabũtur in te omnes qui diligunt nomẽ tuum. quoniam tu benedices iusto

Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

Requiem. añ. Dirige domine deus meus in cõspectu tuo viam meã. añ. Conuertere. Psalmus

DOmine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Miserere mei domine, quoniã infirmus sum: sana me domine, quoniam cõturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu domine vsquequo?

Conuertere domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatē: quoniā exaudiuit dominus vocē fletus mei,

Exaudiuit dominus deprecationem meam, dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubeſcant valde velociter.

Requiem æternā dona. añ. Cõuertere domine, & eripe animā meam, quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui. añ. Néquando. Pſalmus.

Domine deus meus in te ſperaui, ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me:

Néquando rapiat vt leo animam meam, dum non eſt qui redimat, neque qui ſaluum faciat.

Domine deus meus, ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis,

Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam merito ab inimicis meis inanis,

Perſequatur inimicus animam meam, & comprehēdat & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.

Exurge domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exurge domine deus me⁹ in præcepto quod mādaſti: & ſynagoga populorū circúndabit te.

Et propter hanc in altum regredere. dominus iudicat populos.
Iudica me domine ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me.
Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges iuſtum, ſcrutans corda & renes deus.
Iuſtum adiutorium meū à domino qui ſaluos facit rectos corde.
Deus iudex iuſtus, fortis & patiens, nunquid iraſcitur per ſingulos dies?
Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrauit, arcum ſuum tetendit, & parauit illum:
Et in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardē tibus effecit.
Ecce parturijt iniuſtitiam: concepit dolorem & peperit iniquitatem.
Lacum aperuit & effodit eum: & incidit in foueam quam fecit.
Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.
Confitebor domino ſecundum iuſtitiam eius: & pſallam nomini domini altiſſimi.
Requiē æternam dona eis domine, & lux perpetua luceat eis. añ. Néquãdo rapiat vt leo animā meā, dum nō eſt qui redimat, neq; qui ſaluū faciat. ℣. A porta inferi. ℟. Erue domine animas eorū. Pater noſter. Et ne nos. Sed libe. Lectio. j.

PArce mihi domine, nihil enim ſunt dies mei. Quid eſt homo quia magnificas eū? aut quid apponis erga eum cor tuum? Viſitas eum diluculo, & ſubito probas illum. Vſquequò nō parcis mihi, nec dimittis me vt glutiam ſaliuam meam? Peccaui. Quid faciam tibi

ô custos hominum? Quare posuisti me contrariũ tibi,& factus sum mihimetipsi grauis? Cur non tollis peccatum meum, & quare nõ aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in puluere dormio,& si mane me quęsieris,non subsistam. ℟. Credo quòd redemptor meus viuit,& in nouissimo die de terra surrecturus sum. Et in carne mea videbo deum saluatorem meum. ℣. Quem visurus sum egoipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt. Et in carne mea. Lectio. ij.

TAEdet animam meam vitæ meæ, dimittam aduersum me eloquium meũ. Loquar in amaritudine animę meę,dicam deo,noli me condemnare. Indica mihi, cur me ita iudices? Nunquid bonum tibi videtur, si calumnieris, & opprimas me opus manuum tuarum,& consilium impiorum adiuues? Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo,& tu videbis? Nunquid sicut dies hominis, dies tui, & anni tui sicut humana sunt tempora? vt quæras iniquitatem meam,& peccatum meum scruteris? Et scias,quia nihil impium fecerim,cũ sit nemo,qui de manu tua possit eruere. ℟. Qui Lazarum resuscitasti à monumento fœtidum, Tu eis domine dona requiem,& locũ indulgentiæ. ℣. Qui venturus es iudicare viuos & mortuos,& seculũ per ignem. Tu. Lectio. iij.

MAnus tuæ domine fecerũt me,& plasmauerũt me totum in circumitu,& sic repẽte præcipitas me. Memento quæso,quòd sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Nónne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle,& carnibus ve-

ſtiſti me, oſſibus, & neruis compegiſti me. Vitam, & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum. ℞. Domine quando veneris iudicare terram, vbi me abſcondam à vultu iræ tuæ? Quia peccaui nimis in vita mea. ℣. Cōmiſſa mea paueſco, & ante te erubeſco, dum veneris iudicare, noli me condemnare. Quia pecca. In ij. noct. añ. In loco. Pſalmus.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit:

Super aquā refectionis educauit me: animam meam conuertit.

Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ propter nomen ſuum.

Nam & ſi ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala: quoniam tu mecum es.

Virga tua & baculus tuꝰ ipſa me cōſolata ſunt.

Paraſti in conſpectu meo mēſam aduerſus eos qui tribulant me.

Impinguaſti in oleo caput meū: & calix meus inebrians quàm præclarus eſt?

Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ:

Et vt inhabitem in domo domini in longitudinem dierum.

Requiem æternam dona eis dñe. añ. In loco paſcuæ, ibi me collocauit. añ. Delicta. Pſalmus.

AD te domine leuaui animam meā: deus meus in te confido non erubeſcam.

Neq; irrideant me inimici mei: etenim vniuerſi qui ſuſtinent te non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes ſuperuacue.

Vias tuas domine demonſtra mihi: & ſemitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es deus ſaluator meus,& te ſuſtinui tota die.

Reminiſcere miſerationum tuarum domine,& miſericordiarum tuarum:quæ à ſeculo ſunt.

Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.

Secundum miſericordiam tuam memento mei tu:propter bonitatem tuam domine.

Dulcis & rectus dominus : propter hoc legem dabit delinquentibus in via,

Diriget manſuetos in iudicio,docebit mites vias ſuas.

Vniuerſæ viæ domini miſericordia & veritas requirentibus teſtamentũ eius & teſtimonia eius.

Propter nomen tuũ domine propitiaberis peccato meo:multum eſt enim.

Quis eſt homo qui timet dominum?legem ſtatuit ei in via quam elegit:

Anima eius in bonis demorabitur,& ſemen eius hæreditabit terram.

Firmamentum eſt dominus timentibus eum: & teſtamentum ipſius vt manifeſtetur illis.

Oculi mei ſemper ad dominum: quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.

Reſpice in me & miſerere mei: quia vnicus & pauper ſum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt:de neceſſitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam & laborem meum: & dimitte vniuerſa delicta mea.

Reſpice inimicos meos : quoniam multiplicati

ſunt,& odio iniquo oderunt me.

Cuſtodi animam meam & erue me:non erubeſcam,quoniam ſperaui in te.

Innocentes & recti adhæſerunt mihi: quia ſuſtinui te.

Libera deus, Iſraël ex omnibus tribulationib9 ſuis.

Requiē æternā dona eis dñe,& lux perpetua luceat eis. añ. Delicta iuuētutis meę,& ignorātias meas ne memineris domine. añ. Credo. Pſalm9.

Dominus illuminatio mea,& ſalus mea: quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?

Dum appropiant ſuper me nocentes vt edant carnes meas:

Qui tribulāt me inimici mei,ipſi infirmati ſunt & ceciderunt.

Si conſiſtant aduerſum me caſtra,non timebit cor meum.

Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.

Vnam petij à domino,hāc requiram,vt inhabitē in domo domini omnibus diebus vitæ meæ,

Vt videam voluntatem domini,& viſitem templum eius.

Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo: in die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui.

In petra exaltauit me:& nunc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos.

Circumiui & immolaui in tabernaculo eius hoſtiā vociferationis : cātabo & pſalmū dicā dño.

Exaudi domine vocem meam qua clamaui ad te:miſerere mei & exaudi me.
Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea: faciem tuam domine requiram.
Ne auertas faciem tuam à me:ne declines in ira à ſeruo tuo.
Adiutor meus eſto:ne derelinquas me,neq; deſpicias me deus ſalutaris meus.
Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me:dominus autem aſſumpſit me.
Legem pone mihi domine in via tua: & dirige me in ſemita recta propter inimicos meos.
Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.
Credo videre bona domini in terra viuentium.
Expecta dominum,viriliter age:& confortetur cor tuum,& ſuſtine dominum.
Requiem æternã dona eis domine, & lux perpetua luceat eis. añ. Credo videre bona domini in terra viuentium. ℣. Collocet eos cum principibus. ℟. Cum principibus populi ſui. Pater noſter. Et ne nos inducas. Sed libera. Lectio.iiij.

Reſponde mihi,quantas habeo iniquitates, & peccata: ſcelera mea, atq; delicta oſtende mihi. Cur faciem tuam abſcondis: & arbitraris me inimicum tuum? Cõtra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam,& ſtipulam ſiccam perſequeris? Scribis enim contra me amaritudines,& cõſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ. Poſuiſti in neruo pedem meum, & obſeruaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſyde-

rasti. Qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimẽtum, quod comeditur à tinea. ℟. Memento mei deus, quia ventus est vita mea. Nec aspiciat me visus hominis. ℣. De profundis clamaui ad te domine, domine exaudi vocẽ meã. Nec aspiciat me visus hominis. Lectio.v.

HOmo natus de muliere breui viuens tẽpore, repletur multis miserijs. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium? Quis potest facere mundum de immũdo conceptum semine? Nónne tu, qui solus es? Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est. Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterũt. Recede ergo paululum ab eo, vt quiescat, donec optata veniat, & sicut mercẽnarij dies eius. ℟. Hei mihi domine, quia peccaui nimis in vita mea, quid faciam miser, quò fugiam, nisi ad te deus meus? Miserere mei dum veneris in nouissimo die. ℣. Anima mea turbata est valde, sed tu domine succurre ei. Miserere mei dum veneris &c. Lectio.vj.

QVis mihi hoc tribuat, vt ĩ inferno prótegas me? & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tẽpus, in quo recorderis mei? Putásne mortuus homo rursum viuat? Cũctis diebus, quibus nunc milito expecto, donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego respondebo tibi. Operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidem gressus meos dinumerasti sed

parce peccatis meis. ℞. Ne recorderis peccata mea domine, Dum veneris iudicare ſeculũ per ignem. ℣. Dirige domine deus meus in conſpectu tuo viam meam. Dum veneris. In. iij. nocturno. añ. Complaceat. Pſalmus.

EXpectans expectaui dominum:& intẽdit mihi.

Et exaudiuit preces meas:& eduxit me de lacu miſeriæ & de luto fecis,

Et ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos:

Et immiſit in os meum canticum nouum, carmen deo noſtro.

Videbunt multi & timebunt : & ſperabunt in domino.

Beatus vir cuius eſt nomẽ domini ſpes eius:& non reſpexit in vanitates & inſanias falſas.

Multa feciſti tu domine deus meus mirabilia tua : & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi.

Annunciaui & locutus ſum:multiplicatæ ſunt ſuper numerum.

Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autẽ perfeciſti mihi.

Holocauſtũ & pro peccato non poſtulaſti:tunc dixi,ecce venio.

In capite libri ſcriptum eſt de me , vt facerem voluntatem tuã deus meus, volui,& legem tuã in medio cordis mei.

Annunciaui iuſtitiam tuam in eccleſia magna: ecce labia mea non prohibebo domine,tu ſciſti.

Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo: veritatem tuam & ſalutare tuum dixi.

Non abſcondi miſericordiam tuam & veritatē tuam à concilio multo.

Tu autem domine ne lōge facias miſerationes tuas à me: miſericordia tua & veritas tua ſem-per ſuſceperunt me.

Quoniam circundederunt me mala, quorū non eſt numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem:

Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi domine vt eruas me: domine ad adiuuandum me, reſpice.

Confundantur & reuereantur ſimul qui quæ-runt animam meam vt auferant eam.

Conuertantur retrorſum & reuereātur qui vo lunt mihi mala.

Ferant confeſtim confuſionem ſuam qui dicūt mihi, euge euge.

Exultent & lætentur ſuper te omnes quæren-tes te: & dicāt ſemper, magnificetur dominus: qui diligunt ſalutare tuum.

Ego autem mendicus ſum & pauper: dominus ſolicitus eſt mei.

Adiutor meus, & protector meus tu es: deus meus ne tardaueris.

Requiem æternā dona eis domine. añ. Compla ceat tibi domine, vt eripias me, domine ad adiu uandum me reſpice. añ. Sana domine. Pſalmus.

Beatus qui intelligit ſuper egenum & pau perem: in die mala liberabit eū dominus.

Dominus conſeruet eum & viuificet eū, & beatū faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum eius.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: vniuersum stratum eius versasti in infirmi tate eius.
Ego dixi, domine miserere mei: sana animam meam, quia peccaui tibi.
Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur & peribit nomen eius?
Et si ingrediebatur vt videret, vana loquebatur cor eius: congregauit iniquitatem sibi.
Egrediebatur foras: & loquebatur. in idipsum
Aduersum me susurrabãt omnes inimici mei, aduersum me cogitabant mala mihi.
Verbum iniquum constituerũt aduersum me, nunquid qui dormit non adijciet vt resurgat?
Etenim homo pacis meæ in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.
Tu autẽ domine miserere mei & resuscita me: & retribuam eis.
In hoc cognoui quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me.
Me autem propter innocentiam suscepisti: & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.
Benedictus dominus deus Israël à seculo & in seculum: fiat fiat.
Requiem æternam dona eis domine, & lux perpetua luceat eis. añ. Sana domine animam meam, quia peccaui tibi. añ. Sitiuit. Psalmus.
QVemadmodũ desyderat ceruus ad fontes aquarum: ita desyderat anima mea ad te deus.
Sitiuit anima mea ad deũ fortẽ, viuũ: quando veniã, & apparebo ante faciẽ dei?

Fuerũt mihi lachrymę meę panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt deus tuus?

Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam: quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum dei

In voce exultationis & confeſſionis ſonus epulantis.

Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera in deo: quoniam adhuc confitebor illi, ſalutares vultus mei & deus meus.

Ad meipſum anima mea conturbata eſt: propterea memor ero tui de terra Iordanis & Hermonijm, à monte modico.

Abyſſus abyſſum inuocat, in voce cataractarũ tuarum.

Omnia excelſa tua & fluctus tui ſuper me trãſierunt.

In die mandauit dominus miſericordiam ſuã: & nocte canticum eius.

Apud me oratio deo vitæ meæ. dicam deo, ſuſceptor meus es.

Quare oblitus es mei? & quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur oſſa mea, exprobrauerũt mihi qui tribulant me, inimici mei:

Dum dicũt mihi per ſingulos dies, vbi eſt deus tuus?

Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera in deo: quoniam adhuc confitebor illi, ſalutares vultus mei & deus meus.

Requiem æternam dona eis dñe, & lux. añ. Si-

tiuit anima mea ad deum fontem viuum,quan do veniam,& apparebo ante faciem domini. ℣. Ne tradas bestijs animas confitentes tibi. ℟ Et animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in fi nem. Pater noster. Et ne nos. Sed libe. Lctõ.vij.

SPiritus meus attenuabitur,dies mei bre= uiabuntur, & solum mihi superest sepul= chrum. Nõ peccaui,& in amaritudinibus moratur oculus meus. Libera me domine,&po ne me iuxta te, & cuiusvis manus pugnet con= tra me. Dies mei transierunt. cogitationes meę dissipatæ sunt,torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem,& rursum post tenebras spe ro lucẽ. Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris straui lectulum meum. Putredini dixi pater meus es,mater mea,& soror mea ver mibus. Vbi est ergo nũc præstolatio mea,& pa= tientia mea? Tu es domine deus meus. ℟. Pec= cantem me quotidie,& non me pœnitentem ti mor mortis conturbat me. Quia in inferno nul la est redemptio,miserere mei deus,& salua me. ℣. Deus in nomine tuo saluum me fac,& in vir tute tua libera me. Quia in inferno. Lctõ.viij.

PElli meæ cõsumptis carnibus adhæsit os meum,& derelicta sunt tantummodo la bia circa dentes meos. Misereminì mei, miseremini mei saltem vos amici mei,quia ma nus dñi tetigit me. Quare persequimini me si= cut deus,& carnibus meis saturamini? Quis mi hi tribuat vt scribãtur sermones mei? Quis mi= hi det vt exarentur in libro stilo ferreo,& plum bi lamina, vel celte sculpãtur ĩ silice? Scio enim quòd redemptor meꝰ viuit, & in nouissimo die

de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circúndabor pelle mea,& in carne mea videbo deum ſal uatorem meum. Quem viſurus ſum egoipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. ℟ Domine ſecũdum actum meum noli me iudicare, nihil dignum in conſpectu tuo egi, ideo deprecor maieſtatem tuam, Vt tu deus deleas iniquitatẽ meã. ℣. Amplius laua me domine ab iniuſtitia mea,& à delicto meo mũda me. Vt tu. Lctõ.ix.

QVare de vulua eduxiſti me? qui vtinam conſumptus eſſem, ne oculus me videret. Fuiſſem, quaſi nõ eſſem de vtero tranſlatus ad tumulum. Nunquid non paucitas dierum meorum finietur breui? Dimitte me ergo, vt plangam paululum dolorem meũ, ante q̃ vadam, & non reuertar ad terram tenebroſam,& opertam mortis caligine. Terrã miſeriæ,& tenebrarum, vbi vmbra mortis,& nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. ℟. Libera me domine de vijs inferni, qui portas æreas confregiſti, & viſitaſti infernum, & dediſti eis lumen, vt viderent te. Qui erãt in pœnis tenebrarum, ℣. Clamãtes & dicentes, aduniſti redemptor noſter. Qui erant. Requiẽ æternã dona eis domine, & lux perpetua luceat eis. Qui. Et dicitur ſemper in feſto trium lectionũ, & feriali officio. Sequens ℟. non dicitur niſi in ſecũdo die poſt feſtũ omniũ ſanctorũ,& in obitu fratrum & ſororũ. ℟. Libera me domine de morte æterna in die illa tremenda, Quãdo cæli mo uendi ſunt & terra, Dum veneris iudicare ſecu lum per ignem. ℣. Tremens factus ſum ego,&

timeo dum discussio venerit, atque ventura ira. Quādo cæli. ℣ Dies illa, dies iræ, calamitatis & miseriæ, dies magna, & amara valde. Dum veneris. ℣ Requiē æternā dona eis domine, & lux perpetua luceat eis. repetatur à capite Libera. vsq; ad Tremēs. Ad laudes añ Exultabunt. ps.

MIserere mei deus secūdum magnam misericordiam tuam:
Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.
Amplius laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me:
Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.
Tibi soli peccaui, & malū corā te feci: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cū iudicaris.
Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.
Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.
Asperges me domine hyssòpo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.
Auditui meo dabis gaudiū & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.
Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.
Cor mundum crea in me deus: & spiritum rectum innoua in visceribus meis.
Ne proijcias me à facie tua: & spiritum sanctū tuum ne auferas à me.
Redde mihi lætitiā salutaris tui: & spiritu principali confirma me.
Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te con-

uertentur.

Libera me de sanguinibus deus deus salutis meæ:& exultabit lingua mea iustitiam tuam.

Domine,labia mea aperies:& os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium,dedissem:vtique holocaustis non delectaberis.

Sacrificium deo,spiritus contribulatus:cor contritum & humiliatum deus non despicies.

Benigne fac domine in bona voluntate tua Siòn:vt ædificentur muri Hierusalém.

Tũc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes & holocausta: tunc imponẽt super altare tuum vitulos.

Requiem æternam &c. añ. Exultabunt domino ossa humiliata. añ. Exaudi domine. Psalmus

TE decet hymnus deus in Siòn: & tibi reddetur votum in Hierusalém.

Exaudi orationem meam:ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum præualuerunt super nos: & impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus quem elegisti & assumpsisti: habitabit in atrijs tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum,mirabile in æquitate.

Exaudi nos deus salutaris noster:spes omnium finium terræ & in mari longe.

Præparans mõtes in virtute tua,accinctus potentia: qui cõturbas profundum maris,sonum fluctuum eius.

Turbabuntur gentes, & timebunt qui habitãt terminos, à signis tuis: exitus matutini & ve-

ſpere delectabis.
Viſitaſti terram,& inebriaſti eam:multiplicaſti locupletare eam.
Flumen dei repletum eſt aquis, paraſti cibum illorum:quoniam ita eſt præparatio eius.
Riuos eius inebriãs multiplica genimina eius: in ſtillicidijs eius lætabitur germinans.
Benedices coronę anni benignitatis tuæ:& cã-pi tui replebuntur vbertate.
Pingueſcẽt ſpecioſa deſerti:& exultatione colles accingentur.
Induti ſunt arietes ouiũ,& valles abundabunt frumento:clamabunt,etenim hymnum dicent.
Requiẽ æternã dona eis dñe, & lux perpe. &c.
añ. Exaudi domine orationem meam, ad te omnis caro veniet. añ. Me ſuſcepit. Pſalmus.
DEus deus meus, ad te de luce vigilo.
Sitiuit in te anima mea: quàm multipliciter tibi caro mea
In terra deſerta inuia & inaquoſa. ſic in ſancto apparui tibi:vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.
Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas:labia mea laudabũt te.
Sic benedicam te in vita mea:& in nomine tuo leuabo manus meas.
Sicut adipe & pinguedine repleatur aĩa mea: & labijs exultationis laudabit os meum.
Sic memor fui tui ſuper ſtratũ meum:in matutinis meditabor in te,quia fuiſti adiutor meus.
Et in velamento alarum tuarũ exultabo,adhæſit anima mea poſt te:me ſuſcepit dextera tua.
Ipſi vero inuanum quæſierũt animam meam,

introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.

Rex vero lætabitur in deo, laudabūtur omnes qui iurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.

Psalmus.

DEus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri:

Vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi deus, confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes: quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos deus deus noster, benedicat nos deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Requiem æternā dona eis dn̄e. an̄. Me suscepit dextera tua dn̄e. an̄. A porta inferi. Canticum.

EGo dixi in dimidio dierum meorū, vadam ad portas inferi.

Quæsiui residuum annorum meorum, dixi, non videbo dominū deū in terra viuentiū.

Non aspiciam hominem vltra, & habitatorem quietis.

Generatio mea ablata est, & cōuoluta est à me, quasi tabernaculum pastorum.

Præcisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me, de mane vsque ad vesperam finies me.

Sperabam vsq; ad mane quasi leo, sic contriuit omnia ossa mea.

De mane vſq; ad veſperā finies me ſicut pullus hirundinis,ſic clamabo.meditabor vt columba.
Attenuati ſunt oculi mei,ſuſpiciētes in excelſo.
Domine vim patior,reſponde pro me, quid dicam, aut quid reſpōdebit mihi cū ipſe fecerim?
Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.
Domine ſi ſic viuitur, & in talib9 vita ſpiritus mei, corripies me,& viuificabis me: ecce in pace amaritudo mea amariſſima.
Tu autem eruiſti animā meam,vt non periret, proieciſti poſt tergum tuū omnia peccata mea.
Quia non infernus confitebitur tibi,neq; mors laudabit te,non expectabūt,qui deſcendunt in lacum veritatem tuam.
Viuens viuens ipſe cōfitebitur tibi,ſicut & ego hodie, pater filijs notam faciet veritatem tuā.
Domine ſaluū me fac,& pſalmos noſtros cātabimus cūctis diebus vitæ noſtræ in domo dñi.
Requiē æternā. añ. A porta inferi, erue domine animas eorum. añ. Omnis ſpiritus. Pſalmus

LAudate dominum de cælis:laudate eum in excelſis.
Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.
Laudate eum ſol, & luna: laudate eum omnes ſtellæ,& lumen.
Laudate eum cæli cælorum:& aquæ quæ ſuper cælos ſunt,laudent nomen domini.
Quia ipſe dixit,& facta ſunt:ipſe mandauit,& creata ſunt.
Statuit ea in æternum,& in ſeculū ſeculi:præceptum poſuit,& non præteribit.

Laudate dominum de terra: dracones, & omnes abyssi,
Ignis, grādo, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius.
Montes & omnes colles: ligna fructifera & omnes cedri.
Bestiæ, & vniuersa pecora, serpētes, & volucres pennatæ.
Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes iudices terræ:
Iuuenes, & virgines senes cum iunioribus laudent nomē domini: quia exaltatum est nomen eius solius.
Confessio eius super cælum & terram: & exaltauit cornu populi sui.
Hymnus omnibus sanctis eius filijs Israël populo appropinquanti sibi. Psalmus.

Cantate domino canticum nouum: laus eius in ecclesia sanctorum.
Lætetur Israël in eo qui fecit eum: & filiæ Siòn exultent in rege suo.
Laudent nomen eius in choro: in tympano & psalterio psallant ei.
Quia beneplacitum est domino in populo suo: & exaltauit mansuetos in salutem.
Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.
Exultationes dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum:
Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis:
Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis:

Vt faciant in eis iudicium conſcriptum : gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius. Pſalmus.

Laudate dominum in ſanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.

Laudate eum in virtutibus eius: laudate eum ſecũdum multitudinẽ magnitudinis eius.

Laudate eum in ſono tubæ: laudate eũ in pſalterio & cithara.

Laudate eum in tympano & choro: laudate eũ in chordis & organo.

Laudate eum in cymbalis beneſonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis ſpiritus laudet dominum.

Requiem æternã dona eis dñe &c. añ. Omnis ſpiritus laudet dominum. ℣. Audiui vocem de cælo dicentem, mihi. ℟. Beati mortui, qui in domino moriũtur. añ. Ego ſum. Cãticũ Zachariæ

Benedictus dominus deus Iſraél: quia viſitauit, & fecit redẽptionem plebis ſuæ.

Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui,

Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſeculo ſunt prophetarum eius,

Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos,

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti,

Iuſiurandum quod iurauit ad Abrahàm patrẽ noſtrum, daturum ſe nobis

Vt ſine timore, de manu inimicorũ noſtrorum liberati, ſeruiamus illi

In ſanctitate & iuſtitia corã ipſo omnibus diebus noſtris.

E t tu puer, propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem domini parare vias eius,
A d dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum
P er viscera misericordiæ dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto
I lluminare ijs, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.
Requiē æternā. añ. Ego sum resurrectio, & vita. qui credit in me, etiam si mortuus fuerit viuet. & omnis qui viuit, & credit in me: non morietur in æternū. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. Psalmus.
DE profundis clamaui ad te domine: domine exaudi vocem meam.
F iant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.
S i iniquitates obseruaueris domine: domine quis sustinebit?
Q uia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te domine.
S ustinuit anima mea in verbo eius: sperauit anima mea in domino.
A custodia matutina vsq; ad noctem speret Israël in domino.
Q uia apud dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.
E t ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius.
R equiē æter. &c. ℣. A porta inferi. ℟. Erue domine animas eorū. ℣. Domine exaudi orationē meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

DEus qui inter apoſtolicos ſacerdotes famulos tuos pōtificali,ſeu ſacerdotali feciſti dignitate vigere,præſta quæſimus, vt eorū quoq; perpetuo aggregentur conſortio. DEus veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator, quæſimus clementiam tuam, vt noſtræ congregationis fratres,ſorores, propinquos,& benefactores noſtros qui ex hoc ſeculo tranſierūt,beata Maria ſemper virgine intercedēte cū omnibus ſanctis,ad perpetuę beatitudinis cōſortiū peruenire concedas. Orō.

FIdelium deus omnium cōditor & redemptor, animabus famulorū famularumq; tuarum, remiſſionem cunctorum tribue peccatorū,vt indulgētiam,quam ſemper optauerunt,pijs ſupplicationibus cōſequantur,Qui viuis, & regnas cum deo patre in vnitate ſpiritus ſancti de9,Per omnia ſecula ſeculorū.Amē.

¶Commēdationes defunctorum:officium ſingulare & deuotum. Reſponſorium.

SVbuenite ſancti dei:occurrite angeli domini ſuſcipiētes animas omniū fideliū defunctorū,Offerētes eas in conſpectu altiſſimi. ℣. Chorus angelorum eas ſuſcipiat:& in ſinu Abrahæ eas collocet, Offerētes.

TIbi dñe cōmēdamus animas omniū fideliū defunctorū: vt defuncti ſeculo tibi viuāt:& quę per fragilitatē mūdanę cōuerſationis peccata admiſerūt, tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge,Per Chri. Orem9

MIſericordiam tuam domine ſancte pater omnipotens æterne deus pietatis affectu rogare pro alijs cogimur, qui

pro nostris supplicare peccatis nequaq̄ sufficimus: tamen de tua cōfisi gratuita pietate & inolita bonitate, tuam clemētiam deposcimus: vt animas omniū fidelium defunctorum ad te reuertētes cum pietate suscipias. assit eis angelus testamenti tui Michaél: & per manus sanctorū angelorum tuorum inter sanctos & electos tuos in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacòb patriarcharū tuorum eas collocare digneris: quatenus liberatæ de principibus tenebrarum & de locis pœnarum nullis iam primæ natiuitatis vel ignorātiæ, aut propriæ iniquitatis seu fragilitatis confundantur erroribus, sed potius agnoscantur à tuis: & sanctæ beatitudinis requiæ perfruātur. atq; cum magni iudicij dies aduenerit, inter sanctos & electos tuos resuscitati gloria manifestæ contemplationis tuæ perpetuo satiētur, Per dominum nostrum Iesum. añ. Suscipiat. Psalmus.

IN exitu Israél de AEgypto, domus Iacòb de populo barbaro:

Facta est Iudęa sanctificatio eius, Israél potestas eius.

Mare vidit & fugit: Iordanis conuersus est retrorsum.

Montes exultauerunt vt arietes: & colles sicut agni ouium.

Quid est tibi mare quòd fugisti: & tu Iordanis quia conuersus es retrorsum,

Montes exultastis sicut arietes: & colles sicut agni ouium?

A facie domini mota est terra: à facie dei Iacòb.

Qui cōuertit petram in stagna aquarum: & rupem in fontes aquarum.

Non nobis domine, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam,
Super miſericordia tua & veritate tua: nequando dicant gentes, vbi eſt deus eorum?
Deus autem noſter in cælo: omnia quæcunque voluit fecit.
Simulachra gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum.
Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.
Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt.
Manus habent, & non palpabũt, pedes habẽt, & nõ ambulabũt: nõ clamabũt in gutture ſuo.
Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.
Domus Iſraël ſperauit in domino: adiutor eorum & protector eorum eſt.
Domus Aaron ſperauit in domino: adiutor eorum & protector eorum eſt.
Qui timent dominum ſperauerũt in domino: adiutor eorum & protector eorum eſt.
Domin9 memor fuit noſtri: & benedixit nobis.
Benedixit domui Iſraël: bñdixit domui Aarõ.
Benedixit omnibus qui timent dominum, puſillis cum maioribus.
Adijciat dominus ſuper vos: ſuper vos & ſuper filios veſtros.
Benedicti vos à domino: qui fecit cęlũ & terrã.
Cælũ cæli dño: terrã autẽ dedit filijs hominũ.
Non mortui laudabunt te domine: neque omnes qui deſcendunt in infernum.
Sed nos qui viuimus, benedicimus domino ex

hoc nunc & vsque in seculum.

Requiē æternā dona eis dn̄e, & lux perpe. &c. an̄. Suscipiat vos Christus qui vocauit vos: & in sinu Abrahæ angeli deducant vos. Oremus.

OMnipotēs sempiterne deus qui humano corpori animam ad similitudinem tuam inspirare dignatus es, dum te iubente puluis in puluerem reuertitur, tu imaginem tuam cū sanctis & electis tuis æternis sedibus præcipias sociari: eamq́ȝ ad te reuertentē de AEgypti partibus blande leniterq́ȝ suscipias, & angelos tuos sanctos ei obuiam mittas, viamq́ȝ illi iustitiæ demōstra: & portas gloriæ tuę aperi. repelle quæsimus dn̄e ab ea omnes principes tenebrarum: & agnosce depositum fidele quod tuum est. Suscipe domine creaturā tuam non ex dijs alienis creatam, sed à te solo deo viuo & vero: quia non est alius deus præter te domine, & non est secundum opera tua. Lætifica clementissime deus animas omnium fideliū defunctorum: & clarifica eas in multitudine misericordiæ tuæ, ne memineris quæsimus iniquitatum eorum antiquarum & ebrietatum quas suscitauit furor mali desyderij. licet enim peccauerint tamen te non negauerūt: sed signo fidei insigniti te qui omnia & eos inter omnia fecisti fideliter adorauerunt, Qui viuis & regnas deus, Per omnia &c. an̄. Chorus angelorum. Psalmus

DIlexi quoniam exaudiet dominus vocē orationis meæ.

Quia inclinauit aurem suam mihi: & in diebus meis inuocabo.

Circundederunt me dolores mortis: & pericu-

la inferni inuenerunt me.

Tribulationē & dolorem inueni: & nomen domini inuocaui.

O domine libera animam meam: misericors dominus, & iustus, & deus noster miseretur.

Custodiēs paruulos dominus: humiliatus sum, & liberauit me.

Conuertere anima mea in requiem tuam: quia dominus benefecit tibi.

Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis: pedes meos à lapsu.

Placebo domino in regione viuorum. Psalmus

CRedidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.

Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: & nomen domini inuocabo.

Vota mea domino reddam coram omni populo eius: preciosa in conspectu domini, mors sanctorum eius.

O domine quia ego seruus tuus, ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen domini inuocabo.

Vota mea domino reddam in cōspectu omnis populi eius: in atrijs domus domini, in medio tui Hierusalém. Psalmus.

LAudate dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi:

Quoniā confirmata est super nos mise-

ricordia ei9:& veritas dñi manet in æternũ. ps.

Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

Dicat nunc Israël quoniã bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

Dicat nũc domus Aaron quoniam in seculum misericordia eius.

Dicant nunc qui timent dominum, quoniam in seculum misericordia eius.

De tribulatione inuocaui dominum:& exaudiuit me in latitudine dominus.

Dominus mihi adiutor:non timebo quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adiutor: & ego despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in domino:quàm confidere in homine.

Bonum est sperare in domino : quàm sperare in principibus.

Omnes gentes circumierunt me: & in nomine domini quia vltus sum in eos.

Circundantes circundederunt me: & in nomine domini quia vltus sum in eos.

Circundederunt me sicut apes, & exarserũt sicut ignis in spinis:& in nomine domini quia vltus sum in eos.

Impulsus euersus sum vt caderem:& dominus suscepit me.

Fortitudo mea & laus mea dominus: & factus est mihi in salutem.

Vox exultationis & salutis: in tabernaculis iustorum.

Dextera domini fecit virtutem,dextera domi-

ni exaltauit me: dextera domini fecit virtutẽ.
Nõ moriar,ſed viuã:& narrabo opera domini.
Caſtigãs caſtigauit me dominus: & morti non tradidit me.
Aperite mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor domino: hæc porta domini,iuſti intrabunt in eam.
Confitebor tibi quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem.
Lapidem quem reprobauerunt ædificãtes: hic factus eſt in caput anguli.
A domino factum eſt iſtud:& eſt mirabile in oculis noſtris.
Hæc dies quã fecit dominus:exultemus & lætemur in ea.
O domine ſaluũ me fac,ô domine bene proſperare:benedictus qui venit in nomine domini.
Benediximus vobis de domo domini: deus dominus,& illuxit nobis.
Conſtituite diem ſolennem in condenſis,vſque ad cornu altaris.
Deus meus es tu,& confitebor tibi:deus meus es tu,& exaltabo te.
Confitebor tibi quoniã exaudiſti me:& factus es mihi in ſalutem.
Confitemini domino quoniam bonus:quoniã in ſeculum miſericordia eius. Pſalmus.

Beati immaculati in via,qui ambulant in lege domini.
Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius: in toto corde exquirunt eum.
Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt.

Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.
Vtinam dirigātur viæ meæ: ad custodiendas iustificationes tuas.
Tunc non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis.
Confitebor tibi in directione cordis: in eo ꝙ didici iudicia iustitiæ tuæ.
Iustificationes tuas custodiam: non me derelinquas vsquequaq;.
IN quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.
In toto corde meo exquisiui te: ne repellas me à mandatis tuis.
In corde meo abscondi eloquia tua: vt non peccem tibi.
Benedictus es domine: doce me iustificationes tuas.
In labijs meis pronunciaui oīa iudicia oris tui.
In via testimoniorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus diuitijs.
In mandatis tuis exercebor: & consyderabo vias tuas.
In iustificationibus tuis meditabor: non obliuiscar sermones tuos.
REtribue seruo tuo, viuifica me: & custodiam sermones tuos.
Reuela oculos meos: & cōsyderabo mirabilia de lege tua.
Incola ego sum in terra: non abscondas à me mandata tua.
Concupiuit anima mea desyderare iustificationes tuas in omni tempore.
Increpasti superbos: maledicti qui declinant à

mandatis tuis.
A ufer à me opprobrium & cõtemptum: quia testimonia tua exquisiui.
E tenim sederunt principes, & aduersum me lo quebãtur: seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.
Nam & testimonia tua meditatio mea est: & cõ silium meum iustificationes tuæ.
A Dhæsit pauimento anima mea: viuifica me secundum verbum tuum.
V ias meas enũciaui, & exaudisti me: doce me iustificationes tuas.
V iam iustificationum tuarũ instrue me: & exer cebor in mirabilibus tuis.
D ormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.
V iã iniquitatis amoue à me: & de lege tua mi= serere mei.
V iã veritatis elegi: iudicia tua non sum oblitus.
A dhæsi testimonijs tuis dñe: noli me cõfũdere.
V iam mandatorum tuorum cucurri: cum dila= tasti cor meum.
L Egem pone mihi domine viã iustificatio num tuarum: & exquiram eam semper.
D a mihi intellectũ, & scrutabor legem tuam: & custodiam illam in toto corde meo.
D educ me in semita mandatorum tuorũ: quia ipsam volui.
I nclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.
A uerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.
S tatue seruo tuo eloquium tuũ in timore tuo.

Amputa opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum:quia iudicia tua iucunda.
Ecce concupiui mandata tua : in æquitate tua viuifica me.
ET veniat ſuper me miſericordia tua domine:ſalutare tuum ſecundum eloquiũ tuum.
Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum, quia ſperaui in ſermonibus tuis.
Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaq;:quia in iudicijs tuis ſuperſperaui.
Et cuſtodiam legem tuam ſemper: in ſeculum & in ſeculum ſeculi.
Et ambulabam in latitudine: quia mãdata tua exquiſiui.
Et loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu regum:& non confundebar.
Et meditabar in mandatis tuis:quæ dilexi.
Et leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi:& exercebor in iuſtificationibus tuis.
MEmor eſto verbi tui ſeruo tuo, ĩ quo mihi ſpem dediſti.
Hæc me cõſolata eſt ĩ humilitate mea: quia eloquium tuum viuificauit me.
Superbi inique agebant vſquequaq;: à lege autem tua non declinaui.
Memor fui iudiciorum tuorum à ſeculo domine:& conſolatus ſum.
Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.
Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ,in loco peregrinationis meæ.
Memor fui nocte nominis tui domine: & cu-

ſtodiui legem tuam.
Hęc facta eſt mihi:quia iuſtificationes tuas ex-
quiſiui.
POrtio mea domine, dixi, cuſtodire legem
tuam.
Deprecatus ſum faciē tuam in toto cor-
de meo:miſerere mei ſecundum eloquium tuū.
Cogitaui vias meas: & conuerti pedes meos in
teſtimonia tua.
Paratus ſum,& non ſum turbatus:vt cuſtodiā
mandata tua.
Funes peccatorum circumplexi ſunt me:& le-
gem tuam non ſum oblitus.
Media nocte ſurgebam ad cōfitendum tibi:ſu-
per iudicia iuſtificationis tuæ.
Particeps ego ſum omnium timētium te,& cu
ſtodientium mandata tua.
Miſericordia tua domine plena eſt terra:iuſtifi
cationes tuas doce me.
BOnitatem feciſti cum ſeruo tuo domine,
ſecundum verbum tuum.
Bonitatem,& diſciplinā,& ſcientiam do
ce me:quia mandatis tuis credidi.
Priuſquam humiliarer ego deliqui : propterea
eloquium tuum cuſtodiui.
Bonus es tu:& in bonitate tua doce me iuſtifi-
cationes tuas.
Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborū:
ego autem in toto corde meo ſcrutabor manda
ta tua.
Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum : ego vero
legem tuam meditatus ſum.
Bonum mihi quia humiliaſti me: vt diſcam iu

ſtificationes tuas.
Bonum mihi lex oris tui ſuper milia auri & argenti.
MAnus tuę domine fecerunt me,& plaſmauerunt me:da mihi intellectum,vt diſcam mandata tua.
Qui timent te videbunt me,& lætabũtur:quia in verba tua ſuperſperaui.
Cognoui domine quia æquitas iudicia tua,& in veritate tua humiliaſti me.
Fiat miſericordia tua vt conſoletur me ſecundum eloquium tuum ſeruo tuo.
Veniant mihi miſerationes tuæ,& viuam:quia lex tua meditatio mea eſt.
Confundantur ſuperbi quia iniuſte iniquitatẽ fecerunt in me:ego autem exercebor in mandatis tuis.
Conuertantur mihi timentes te & qui nouerũt teſtimonia tua.
Fiat cor meum immaculatum in iuſtificationibus tuis,vt non confundar.
DEfecit in ſalutare tuum anima mea: & in verbum tuum ſuperſperaui.
Defecerunt oculi mei in eloquium tuũ: dicentes,quando conſolaberis me?
Quia factus ſum ſicut vter in pruina:iuſtificationes tuas non ſum oblitus.
Quot ſunt dies ſerui tui,quando facies de perſequentibus me iudicium?
Narrauerunt mihi iniqui fabulationes:ſed non vt lex tua.
Omnia mandata tua veritas : iniqui perſecuti ſunt me,adiuua me.

P aulominus conſummauerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.

S ecundum miſericordiam tuam viuifica me:& cuſtodiam teſtimonia oris tui.

IN æternum domine verbum tuum permanet in cælo.

I n generatione & generationē veritas tua: fundaſti terram & permanet.

O rdinatione tua perſeuerat dies:quoniam omnia ſeruiunt tibi.

N iſi quòd lex tua meditatio mea eſt:tunc forte perijſſem in humilitate mea.

I n ęternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas: quia in ipſis viuificaſti me.

T uus ſum ego,ſaluum me fac: quoniam iuſtificationes tuas exquiſiui.

M e expectauerunt peccatores vt perderēt me: teſtimonia tua intellexi.

O mnis conſummationis vidi finem:latum mādatum tuum nimis.

QVomodo dilexi legem tuam domine? tota die meditatio mea eſt.

S uper inimicos meos prudentem me feciſti mādato tuo:quia in æternū mihi eſt.

S uper omnes docentes me intellexi:quia teſtimonia tua meditatio mea eſt.

S uper ſenes intellexi:quia mādata tua quæſiui.

A b omni via mala prohibui pedes meos:vt cuſtodiam verba tua.

A iudicijs tuis non declinaui:quia tu legem poſuiſti mihi.

Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo?

A mandatis tuis intellexi: propterea odiui omnem viam iniquitatis.

LVcerna pedibus meis verbũ tuum: & lumen ſemitis meis.

Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitię tuæ.

Humiliatus ſum vſquequaq; domine: viuifica me ſecundum verbum tuum.

Voluntaria oris mei beneplacita fac domine, & iudicia tua doce me.

Anima mea in manibus meis ſemper: & legem tuam non ſum oblitus.

Poſuerunt peccatores laqueũ mihi: & de mandatis tuis non erraui.

Hęreditate acquiſiui teſtimonia tua in æternũ: quia exultatio cordis mei ſunt.

Inclinaui cor meum ad faciẽdas iuſtificationes tuas in æternum: propter retributionem.

INiquos odio habui: & legem tuam dilexi.

Adiutor & ſuſceptor meus es tu: & in verbum tuum ſuperſperaui.

Declinate à me maligni: & ſcrutabor mandata dei mei.

Suſcipe me ſecundum eloquium tuum, & viuã: & non confundas me ab expectatione mea.

Adiuua me, & ſaluus ero: & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper.

Spreuiſti omnes diſcedẽtes à iudicijs tuis: quia iniuſta cogitatio eorum.

Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ: ideo dilexi teſtimonia tua.

Cõfige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.

‡

FEci iudicium & iuſtitiam:non tradas me calumniantibus me.
Suſcipe ſeruum tuum in bonum:non calumnientur me ſuperbi.
Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum & in eloquium iuſtitiæ tuæ.
Fac cum ſeruo tuo ſecũdum miſericordiam tuam:& iuſtificationes tuas doce me.
Seruus tuus ſum ego:da mihi intellectũ vt ſciã teſtimonia tua.
Tempus faciẽdi domine: diſſipauerũt legẽ tuã.
Ideo dilexi mãdata tua ſuper aurũ & topazion.
Propterea ad omnia mandata tua dirigebar:omnem viam iniquam odio habui.
MIrabilia teſtimonia tua: ideo ſcrutata eſt ea anima mea.
Declaratio ſermonum tuorum illuminat:& intellectum dat paruulis.
Os meum aperui,& attraxi ſpiritum:quia mãdata tua deſyderabam.
Aſpice in me, & miſerere mei ſecundum iudicium diligentium nomen tuum.
Greſſus meos dirige ſecundum eloquiũ tuum: & non dominetur mei omnis iniuſtitia.
Redime me à calumnijs hominum:vt cuſtodiam mandata tua.
Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum: & doce me iuſtificationes tuas.
Exitus aquarũ deduxerunt oculi mei:quia non cuſtodierunt legem tuam.
IVſtus es domine:&rectum iudicium tuum.
Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua:& veritatem tuam nimis.

SIC VT NON PLS

GEOFROY TORY.

Tabeſcere me fecit zelus meus:quia obliti ſunt verba tua inimici mei.
Ignitum eloquium tuum vehemẽter:& ſeruus tuus dilexit illud.
Adoleſcentulus ſum ego & contemptus:iuſtificationes tuas non ſum oblitus.
Iuſtitia tua iuſtitia in ęternũ:& lex tua veritas.
Tribulatio & anguſtia inuenerunt me:mandata tua meditatio mea eſt.
AEquitas teſtimonia tua in æternum : intellectum da mihi,& viuam.

CLamaui in toto corde,exaudi me domine:iuſtificationes tuas requiram.
Clamaui ad te,ſaluum me fac: vt cuſtodiam mandata tua.
Præuêni in maturitate,& clamaui: quia in verba tua ſuperſperaui.
Præuenerunt oculi mei ad te diluculo: vt meditarer eloquia tua.
Vocem meã audi ſecundum miſericordiã tuam domine: & ſecũdum iudicium tuũ viuifica me.
Appropinquauerunt perſequentes me iniquitati:à lege autem tua longe facti ſunt.
Prope es tu domine:& omnes viæ tuę veritas.
Initio cognoui de teſtimonijs tuis quia in æternum fundaſti ea.

VIde humilitatem meam , & eripe me: quia legem tuam non ſum oblitus.
Iudica iudicium meum,& redime me: propter eloquium tuum viuifica me.
Lõge à peccatoribus ſalus: quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt.
Miſericordiæ tuæ multæ domine : ſecundum

GEOFROY TORY.

SIC VT NON PLS

iudicium tuum viuifica me.

Multi qui persequuntur me & tribulant me: à testimonijs tuis non declinaui.

Vidi præuaricãtes, & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt.

Vide quoniam mandata tua dilexi domine: in misericordia tua viuifica me.

Principium verborum tuorũ veritas: in æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ.

PRincipes persecuti sunt me gratis: & à verbis tuis formidauit cor meum.

Lætabor ego super eloquia tua: sicut qui inuenit spolia multa.

Iniquitatem odio habui & abominatus sum: legem autem tuam dilexi.

Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ.

Pax multa diligentibus legem tuam: & non est illis scandalum.

Expectabam salutare tuum domine: & mãdata tua dilexi.

Custodiuit anima mea testimonia tua: & dilexit ea vehementer.

Seruaui mãdata tua & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

APpropinquet deprecatio mea in conspectu tuo domine: iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Intret postulatio mea in conspectu tuo: secundum eloquium tuum eripe me.

Eructabunt labia mea hymnum: cum docueris me iustificationes tuas.

Pronũciabit lingua mea eloquium tuum: quia

omnia mandata tua æquitas.

Fiat manus tua vt ſaluet me:quoniam manda ta tua elegi.

Concupiui ſalutare tuũ domine:& lex tua me= ditatio mea eſt.

Viuet anima mea, & laudabit te: & iudicia tua adiuuabunt me.

Erraui ſicut ouis quæ perijt:quære ſeruum tu= um domine,quia mãdata tua non ſum oblitus.

Requiẽ æternã dona eis dñe,& lux per.&c.añ.

Chorus angelorum vos ſuſcipiat: & in ſinu A= brahæ ibi vos collocet: vt cũ Lazaro quondam paupere, æternam habeatis requiem. Oratio.

DIri vulneris nouitate percuſſi & quodã= modo cordibus ſauciati,miſericordiam tuam mundi redemptor flebilibus vo= cibus imploramus: vt animas charorũ noſtro= rum ad tuam clementiam,qui fons pietatis es, reuertẽtes blande leniterq́ꝫ ſuſcipias:& quas il= læ ex carnali commoratione contraxerunt ma= culas: tu deus inolita bonitate clemẽter deleas. Amen.Pie indulgeas. Amen.Obliuioni in per= petuum tradas Amen.atqꝫ has ad corpus quan doqꝫ reuerſuras ſanctorum tuorum cœtibus ag gregari præcipias. Qui cum deo patre & ſpiri= tu ſancto viuis & regnas deus,Per omnia ſecu= la ſeculorum. Amẽ.Pater noſter. Et ne nos&c. ℣. Requiem æternã dona eis domine.℟. Et lux perpetua luceat eis.℣. Animę eorũ in bonis de= morentur.℟. Et ſemen eorũ hæreditabit terrã. ℣. Non intres in iudicium cũ ſeruis tuis domi= ne.℟. Quoniam non iuſtificabitur in cõſpectu tuo omnis viuens.℣. A porta inferi.℟ Erue do

mine animas eorum. ℣. Domine exaudi oratio-
nem meã. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Orõ

PArtem beatæ resurrectionis obtineant:
vitãq; æternã habere mereãtur in cælis,
Per te Iesu Christe saluator mundi, Qui
cũ patre & spiritu sancto viuis &c. Alia oratio.

DEus cui soli competit medicinam præ-
stare post mortem: tribue quęsimus vt
animæ famulorum famularumq; tua-
rum terrenis exutæ contagijs, in tuę redempti-
onis parte numerentur, Per Christum. Oratio.

Fidelium deus omniũ conditor &c. Absolutio.

OMnipotens deus qui beato Petro apo-
stolo cæterisq; discipulis suis licentiam
dedit ligandi atq; soluendi: ipse vos ab-
soluat ab omni vinculo delictorum, & quãtum
nostrę fragilitati permittitur, sitis absolutæ ãte
tribunal domini nostri Iesu Christi: habeatisq;
vitam æternam: & viuatis in secula seculorum
intercedente beata virgine dei genitrice Maria
cum omnibus sanctis. In nomine patris & filij
& spiritus sancti. Amen. Alia oratio.

DEus qui non mortem sed pœnitentiam
desyderas peccatorum, populum tuum
quæsimus ad te conuerte propitius: vt
dum tibi deuotus extiterit, iracundiæ ab eo fla
gella amoueas, Per. Oratio.

DEus auctor pacis & amator, quem nos-
se, viuere: cui seruire, regnare est, prote-
ge ab omnibus impugnationibus sup-
plices tuos. vt qui in defensione tua cõfidimus:
nullius hostilitatis arma timeamus, Per domi-
nũ nostrũ Iesum Christũ filium tuum, Qui &c.

¶ Alia deuotissima oratio pro fidelibus defun=ctis in cœmiterio inhumatis antiphona.

AVete omnes animę fideles, quarũ corpora hic & vbiq; requiescũt in puluere. Dominus noster Iesus Christus qui vos & nos redemit suo preciosissimo sãguine, dignetur vos à pœnis liberare: & inter choros suorũ san=ctorũ angelorũ collocare. ibiq; nostri memores, suppliciter exorate vt vobis associemur & vobiscũ in cælis coronemur. ℣ Non intres in iudiciũ cũ animabus seruorũ tuorũ dñe. ℟ Quoniã nõ iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuẽs. Orõ

DOmine Iesu Christe salus & liberatio fidelium animarum, qui non venisti ani=mas perdere, sed saluare & dare animã tuam in redemptionem pro multis: immẽsam clemẽtiam tuam ac ineffabilem misericordiam tuam humiliter imploramus, vt animas omniũ fidelium defunctorum in pœnis purgatorij cruciatas, misericorditer respicere digneris, & quæ iuste pro peccatis affliguntur, tua benignissima pietate liberentur, subueniatq; illis tua miseri=cordia quas tuo preciosissimo sanguine redemisti, & per merita beatissimæ, gloriosissimæ, semperq; virginis dei genitricis Marię, & omnium sanctorum & sanctarum liberare eas ab infero=rum cruciatibus, & collocare inter agminà san=ctorum tuorum digneris, veste quoq; immortalitatis indui, & paradisi amœnitate cõfoueri iu=beas, Qui cũ deo patre & spiritu sãcto viuis & regnas deus, Per omnia secula seculorũ. Amen.

¶ Sequũtur suffragia plurimorum sanctorum & sanctarũ. Et primo de sanctissima trinitate.

SAncta trinitas vnus de9, miſerere noſtri. Te inuocamus, te adoramus, te laudam9, te glorificamus ô beata trinitas. ℣. Sit nomen domini benedictum. ℟. Ex hoc nūc, & vſque in ſeculum. Oremus.

OMnipotens ſempiterne deus qui dediſti famulis tuis in cōfeſſione veræ fidei æternæ trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia maieſtatis adorare vnitatem: quæſimus vt eiuſdē fidei firmitate ab omnibus ſemper tueamur aduerſis, Per dominum noſtrum.

¶ Oratio ad patrem. Antiphona. Pater de cælis deus, miſerere noſtri. Oratio.

DOmine ſancte pater, omnipotens æterne deus, qui coæqualem, conſubſtantialem & coæternum tibi ante omnia ſecula filium ineffabiliter genuiſti, cum quo atq; cū ſpiritu ſancto, ex te eodemq; filio procedente, cælum, terram, atque omnia quæcunq; exiſtunt, viſibilia & inuiſibilia mirabiliter creaſti: tibi gratias ago, te adoro, te laudo, te benedico, teq; magnifico. Eſto quæſo propitius mihi miſerrimo peccatori: & ne deſpicias me opus manuū tuarū: ſed libera, ſalua, & adiuua me propter nomē ſanctū tuū, Qui viuis & regnas &c.

¶ Oratio ad filium. Antiphona. Fili redemptor mundi deus, miſerere noſtri. Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte fili dei viui, qui es verus & omnipotens deus, ſplendor & imago patris & vita æterna, cui eſt vnà cum æterno patre & ſpiritu ſancto æqualis honor, eadem gloria, coæterna maieſtas, vna ſubſtantia: tibi gratias ago, te adoro, te laudo, te be

nedico, teq́ꝫ glorifico, ne me quæso perire patia ris, sed salua & adiuua me propter nomen sanctum tuum, Qui viuis & regnas &c.

¶ Oratio ad spiritū sanctum. Antiphona. Spiritus sancte deus, miserere nostri. Oratio.

DOmine spiritus sancte de⁹ qui coæqualis, consubstantialis & coæternus patri filioq́ꝫ existens, ab eis ineffabiliter procedis, quiq́ꝫ super eundem dominum nostrum Iesum Christū in columbæ specie & supra sanctos discipulos suos in linguis igneis descēdisti: tibi gratias ago, te adoro, te laudo, te benedico, teq́ꝫ glorifico, Repelle à me quæso tenebras totius iniquitatis & perfidiæ: & accende in me lumen misericordiæ tuæ, & ignem sanctissimi amoris tui, Qui viuis & regnas &c.

¶ Oratio deuota ad beatissimā virginē Mariā.

OBsecro te domina sancta Maria mater dei pietate plenissima, summi regis filia, mater gloriosissima, mater orphanorum, consolatio desolatorum, via errantium, salus omnium in te sperātium. Virgo ante partum, virgo in partu, & virgo post partum, fons misericordiæ, fons salutis & gratiæ, fons consolationis & indulgentiæ, fons pietatis & lætitiæ: per illam ineffabilem lætitiā qua exultauit spiritus tuus in illa hora quando tibi per Gabrielē archangelum annūciatus & conceptus filius dei fuit. & per illud diuinum mysterium quod tunc operatus est in te spiritus sanctus. & per illam inæstimabilem gratiā, pietatem, misericordiā, charitatem, & humilitatē, per quas filius tuus descendit accipere humanam carnem in vene-

rabiliſſimo vtero tuo: & in quibus te reſpexit, quando te commendauit ſancto Ioanni apoſto= lo & euangeliſtæ. & quando te exaltauit ſuper choros angelorum.& per illam ſanctam ineffa= bilem humilitatem, in qua tu reſpondiſti archã gelo Gabrieli, Ecce ancilla domini: fiat mihi ſe= cundum verbũ tuum.& per glorioſiſſima quin= decim gaudia, quæ habuiſti de filio tuo domino noſtro Ieſu Chriſto.& per illam ſanctam & ma ximam compaſſionem, & acerbiſſimum cordis dolorem, quem habuiſti quãdo filium tuum do minum noſtrum Ieſum Chriſtum ante crucem nudatum:& in ipſa leuatum vidiſti pẽdentem, crucifixum, vulneratum, ſitientem, fel apponi: clamantem audiſti, & morientem vidiſti.& per quinq; vulnera filij tui.& per contractionem vi ſcerum tuorum, prę nimio dolore vulnerũ ſuo= rum.& per dolorem quem habuiſti:quando vi= diſti eum vulnerari.& per fontes ſanguinis ſui. & per omnem paſſionem eius.& per omnẽ do= lorem cordis tui. & per fontes lachrymarũ tua= rum: vt cum omnibus ſanctis & electis dei ve= nias & feſtines in auxilium & cõſilium meum: in omnibus orationibus & requæſtis meis:& in omnibus anguſtijs & neceſſitatibus meis. & in omnibus illis reb⁹ in quibus ego ſum facturus, locuturus, aut cogitaturus omnibus diebus ac noctibus:horis atq; momentis vitæ meæ.& mi hi famulo tuo impetres à dilecto filio tuo virtu tum omniũ complemẽtum cũ omni miſericor= dia & cõſolatione, omni conſilio, omni adiuto= rio, omni benedictione & ſanctificatione: om= ni ſaluatione, pace, & proſperitate: omni gau=

dio & alacritate: etiam abundantiam omnium bonorum ſpiritualium & corporalium. & gratiam ſpiritus ſancti, qui me bene per omnia diſponat, animam meam cuſtodiat, corpus meum regat, mentem erigat, mores componat, actus probet, vota & deſyderia mea perficiat, cogitationes ſanctas inſtituat, præterita mala indulgeat, præſentia emendet, futura moderetur. Vitam honeſtam & honorabilem mihi tribuat: fidem, ſpem, charitatem, caſtitatem, humilitatē, & patientiam mihi tribuat. Quinq; ſenſus corporis mei regat & protegat. Septem opera miſericordiæ complere me faciat. Duodecim articulos fidei & decem præcepta legis firmiter tenere & credere me faciat. Et à ſeptem peccatis criminalibus me liberet & defendat vſque in finem. Et in nouiſſimis diebus meis oſtende mihi faciem tuam, & annuncies mihi diem & horam obitus & mortis meæ. Et hanc orationem ſupplicem ſuſcipias & exaudias, & vitam æternā mihi tribuas. Audi & exaudi me dulciſſima virgo Maria mater dei & miſericordiæ. Amen.

¶ Alia oratio ad beatam virginem Mariam: & ad ſanctum Ioannem euangeliſtam.

O Intemerata & in æternum benedicta, ſingularis atq; incomparabilis virgo dei genitrix Maria, gratiſſimum dei templum, ſpiritus ſancti ſacrarium, ianua regni cælorum: per quam, poſt deum, totus viuit orbis terrarum. Inclina mater miſericordiæ aures tuę pietatis indignis ſupplicationibus meis: & eſto mihi miſerrimo peccatori pia in omnibus auxiliatrix. O Ioannes beatiſſime Chriſti familiaris

amice, qui ab eodem domino noſtro Ieſu Chri-
ſto virgo es electus, & inter cæteros magis dile-
ctus, atq; myſterijs cæleſtibus vltra omnes im-
butus. Apoſtolus enim & euangeliſta factus es
præclariſſimus. Te etiã inuoco cũ Maria matre
eiuſdem ſaluatoris noſtri: vt mihi opem tuã cũ
ipſa conferre digneris. O duæ gemmæ cæleſtes
Maria & Ioãnes. O duo luminaria diuinitus an
te deum lucentia: veſtris radijs, ſcelerum meo-
rum effugate nubila. Vos enim eſtis illi duo, in
quib9 deus pater per filium ſuum ſpiritualiter
ædificauit ſibi domum. Et in quibus ipſe filius
dei ob ſynceriſſimæ virginitatis meritum, dile-
ctionis ſuæ confirmauit priuilegium: in cruce
pendens vni veſtrum ita dicens, Mulier, ecce fi-
lius tuus. deinde ad alium, Ecce mater tua. In
huius ergo tam ſacratiſſimi amoris dulcedine,
qua tunc ore dominico, velut mater & filius, ad
inuicem eſtis coniuncti: vobis duobus ego mi-
ſerrimus peccator commẽdo hodie corpus & a-
nimam meam: vt in omnibus horis atq; momẽ
tis, interius & exterius firmi cuſtodes, & pij a-
pud deum interceſſores exiſtere dignemini. Cre
do enim firmiter & fateor indubitãter: quia vel
le veſtrum, velle dei eſt: & nolle veſtrum, nolle
dei eſt. Vnde quicquid ab eo petitis: ſine mora
obtinetis. Per hanc ergo tam potentiſſimam ve
ſtræ dignitatis virtutẽ, poſcite quæſo mihi pec-
catori corporis & animæ ſanitatẽ. Agite quæſo
agite veſtris ſacris orationibus: vt cor meũ inui
ſere & inhabitare dignetur ſpiritus almus gra-
tiarum largitor optimus: qui me à cũctis vitio-
rum ſordibus expurget, virtutibus ſacris exor-

net, in dilectione dei & proximi mei perfecte stare & perseuerare me faciat. Et post huius vitæ cursum, ad gaudia ducat electorum suorum benignissimus paracletus, gratiarũ largitor optimus, Qui cũ patre coæterno & cõsubstãtiali viuit & regnat per infinita seculorũ secula. Amẽ.

¶ Deuota contemplatio beatæ Mariæ virginis iuxta crucem filij sui lachrymantis, & ad compassionem saluatoris singulos inuitantis.

STabat mater dolorosa iuxta crucem, lachrymosa, dum pendebat filius. Cuius animam gementem, contristantem, & dolentẽ pertransiuit gladius. O quàm tristis & afflicta, fuit illa benedicta, mater vnigeniti? Quæ mœrebat, & dolebat, & tremebat, cum videbat nati pœnas inclyti. Quis est homo qui non fleret, Christi matrẽ si videret in tanto supplicio? Quis posset non contristari, piam matrem contemplari, dolentem cum filio? Pro peccatis suæ gentis vidit Iesum in tormẽtis, & flagellis subditum. Vidit suum dulcem natum morientem, desolatum, dum emisit spiritum. Eia mater fõs amoris, me sentire vim doloris, fac vt tecum lugeam. Fac vt ardeat cor meum in amando Christum deum, vt sibi complaceam. Sancta mater istud agas: crucifixi fige plagas, cordi meo valide. Tui nati vulnerati, iam dignãtis pro me pati, vim amoris imprime. Fac me vere tecum flere, crucifixo condolere, donec ego vixero. Iuxta crucem tecum stare, te libenter sociare, in planctu desydero. Virgo virginũ præclara, mihi iam non sis amara, fac me tecũ plangere. Fac vt portem Christi mortẽ, passionis eius sortem, & pla

‡

gas recolere. Fac me plagis vulnerari, cruce hac inebriari, ob amorem filij. Inflãmatus & accensus, per te virgo sim defensus in die iudicij. Fac me cruce custodiri, morte Christi præmuniri, cõfoueri gratia. Quãdo corpus morietur, fac vt animæ donetur paradisi gloria. Amen. ℣. Tuam ipsius animã doloris gladius pertrãsiuit. ℟. Vt reuelẽtur ex multis cordibus cogitationes. Orõ

INteruentiat pro nobis quæsim⁹ domine Iesu Christe nunc & in hora mortis nostræ apud tuã clemẽtiam beata virgo Maria mater tua: cuius sacratissimã animam in hora tuæ passionis doloris gladius pertrãsiuit, Per te Iesu Christe saluator mũdi, Qui cũ patre & spiritu sancto viuis & regnas deus, Per omnia &c.

De proprio angelo.

Sancte angele dei, cui ego indignus peccator ad custodiendum commissus sum, te humiliter imploro vt à mane vsq; ad vesperum, & omni tempore forti custodia prótegas animam meam ab impijs & immundis spiritibus: qui tanq̃ leones rugientes circumierunt me deuorare quærẽtes: quæso, virtutis tuæ potentia refrenẽtur: ne aut sensum meum commoueãt, aut quietem pacis perturbent, aut illicitum amorem infundant: vt qui te in terris patronum habeo, tecum gaudeam in regno cælesti. Amẽ. ℣. Angele sancte dei, ℟. Sit tibi cura mei. Oratio.

DEus qui infinita bonitate tua, sanctum angelũ tuum anteq̃ nascerer, mihi ad custodiendum prouidisti: concede propitius vt tua prouisione ipse sanctus angelus in hac vita me indesinenter custodiat, atque post

finem huius vitæ ad te qui es deus immortalis, illæsum perducat, Per dominum nostrum &c.

¶ De sancto Mihaele archangelo Antiphona.

Princeps gloriosissime Michaél: dux exercituū, susceptor animarum, debellator malorum spiri tuum, ecclesiæ dei post Christum dux admirabi lis, grandis excellentiæ & virtutis: omnes recla= mantes ad te, ab omni libera aduersitate, & in cultū dei facias proficere tuo precioso officio & dignissima pace. ℣. Ora pro nobis beate Mi= chaël princeps in ecclesia dei. ℟. Vt digni effi= ciamur promissionibus Christi. Oratio.

OMnipotens sempiterne deus qui saluti humanæ naturæ, ex summa clementia tua, gloriosum principem ecclesiæ tuæ beatum Michaelem archāgelum mirabiliter de= putasti: concede propitius, vt eius protectionis subsidio, hic à cūctis hostibus efficacissime tue= amur, in futuro nostro obitu ab omni tētatione liberemur, tuæ excelsæ maiestati beatificę præ= sentemur, Per &c. ¶ De omnibus angelis añ.

Michaél, Gabriél, Raphaél, summi nūcij, & om nes sancti angeli dei intercedite pro nobis in cō spectu domini. ℣. Angelis suis deus mādauit de te. ℟. Vt custodiāt te in omnibus vijs tuis. Orō

DEus qui miro ordine, angelorum mini= steria hominū'q; dispensas, cōcede pro= pitius vt à quibus tibi ministrantibus in cælis semper assistitur, ab his in terra vita no stra muniatur, Per Christū dnm̄ nostrū. Amen

¶ Oratio trium regum. Antiphona.

Rex Iaspar, rex Melchior, rex Balthasar, rogo vos per singula nomina, rogo vos per sanctam

trinitatem, rogo vos per regem regum quē vagientem in cunis vidiſtis, vt compatiamini tribulationum mearum hodie, & intercedite pro me ad dominum, cuius deſyderio exules facti eſtis. & ſicut vos per angelicam annũciationem de reditu ab Herode eripuit: ita me hodie liberare dignetur ab omnibus inimicis meis viſibilibus & inuiſibilibus, & à ſubitanea & improuiſa morte, & ab omni confuſione, mala fama, & ab omni periculo corporis & animæ, Per Chriſtum dominũ noſtrum. Amen. ℣. Reges Tharſis & inſulæ, munera offerent. ℞. Reges Arabum & Sabba dona adducent. Oratio.

DEus illuminator omnium gentium, da populis tuis perpetua pace gaudere, & illud lumen ſplendidum infunde cordibus noſtris, quod trium Magorum mentibus aſpiraſti, Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ filium tuum, Qui tecũ viuit & regnat in vnitate &c.

¶ De ſancto Ioanne Baptiſta Antiphona.

Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. ℣. Fuit homo miſſus à deo. ℞. Cui nomen erat Ioannes. Oratio.

PRæſta quæſimus omnipotēs deus vt familia tua per viam ſalutis incedat: & beati Ioannis præcurſoris Chriſti hortamenta ſectando, ad eum quem prædixit, ſecura perueniat, Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum &c.

¶ De ſancto Petro apoſtolo Antiphona.

Tu es paſtor ouium, princeps apoſtolorũ: tibi tradidit deus omnia regna mũdi, & ideo traditæ ſunt tibi claues regni cælorũ. tibi enim à domino collata eſt poteſtas ligandi atque ſoluen-

di.& ideo traditæ ſunt tibi claues regni cælorũ. ℣ Solue iubẽte deo terrarum Petre catenas. ℟. Qui facis vt pateant cæleſtia regna beatis. Oro

DEus qui beatum Petrum apoſtolum à vinculis abſolutum, illæſum abire feciſti: noſtrorum quæſimus abſolue vincula peccatorum, & omnia mala à nobis propitiatus exclude, Per dominũ noſtrum Ieſum &c.

¶ De ſancto Paulo Antiphona.

O glorioſum lumen omnium eccleſiarum ſole ſplendidius. ô verè apoſtolicum ſidus altiſſimũ ſancte Paule, qui æterni ſolis ſplendorem tenebris gentium infudiſti, qui in terris poſitus cælorum ſecreta petiſti, & quæ non licet homini loqui peruidiſti: illuc ſupplices tuos poſt hui⁹ carnis terminũ perducere dignare, quos feciſti veritatis lumen agnoſcere. ℣. Tu es vas electionis ſancte Paule gentium doctor. ℟. Pro nobis ora deum qui te elegit. Oratio.

DEus qui vniuerſum mundũ beati Pauli apoſtoli tui inſtitutione docuiſti, da nobis quæſimus, vt qui eius memoriam pio affectu recolimus, eius apud te patrocinia ſentiamus, Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filiũ tuũ, Qui tecum viuit & regnat &c.

¶ De ſancto Andrea Antiphona.

Cum perueniſſet beatus Andreas ad locum vbi crux parata erat: exclamauit, & dixit. O bona crux diu deſyderata: & iam cõcupiſcenti animo præparata, ſecurus & gaudens venio ad te, ita vt tu exultãs ſuſcipias me diſcipulum eius qui pependit in te. ℣. Dilexit Andream dominus. ℟. In odorem ſuauitatis. Oratio.

Maieſtatem tuā domine ſupplices exoramus: vt ſicut eccleſiæ tuę beatus Andreas apoſtolus extitit prædicator & rector, ita apud te ſit pro nobis perpetuus interceſſor, Per dominū noſtrum Ieſum Chri. &c.

¶ De ſancto Ioanne euangeliſta Antiphona.

O ſpeculum virginalis pudicitię, ô geminæ charitatis pleniſſime ſancte Ioannes, qui Chriſtum præ apoſtolis cognouiſti, purius dilexiſti, & ab ipſo præ cæteris diligi meruiſti: impetra nobis tuis ſanctis precibus, vt & Chriſtum cognoſcamus manifeſtius, diligamus feruidius, atque ab ipſo dilecti ſibi vniamur intimius. ℣. Virgo electus es à domino. ℟. Atq; inter cæteros magis dilectus. Oratio.

Beati Ioānis apoſtoli tui & euāgeliſtæ qui ſuper pectus tuum in cœna decubuit nos quæſimus domine nunc & in hora mortis noſtræ, cōmendet oratio: cui in cruce pro noſtra ſalute pendens & moriens, matrem tuā virginem virgini cōmendaſti, Qui viuis & re. &c.

¶ De ſancto Iacobo Antiphona.

O lux & decus Hiſpaniæ, ſāctiſſime Iacobe, qui inter apoſtolos primatū tenes, primus eorū martyrio laureatus. O ſingulare præſidiū, qui meruiſti videre redemptorē noſtrū adhuc mortalē in diuinitate transformatū: exaudi preces ſeruorū tuorū, & intercede pro noſtra ſalute omniumq; populorū. ℣. O felix apoſtole magne martyr Iacobe. ℟. Te colētes adiuua ducēs ad cęleſtia. Orō

Esto domine plebi tuę ſanctificator & cuſtos: vt beati Iacobi apoſtoli tui munita præſidijs, & conuerſatione tibi placeat,

& ſecura mēte deſeruiat, Per dominum no. &c.

℄ De ſancto Thoma Antiphona.

O Thoma Didime per Chriſtum quem merui ſti tangere, te precibus rogamus altiſonis, ſuccurre nobis miſeris, ne damnemur cū impijs in aduētu iudicis. ℣. Quia me vidiſti Thoma, credi diſti. ℟. Beati qui nō viderūt & crediderūt. Orō

Concede quæſimus domine apoſtolū tuū Thomam interuenire pro nobis, vt eius ſemper patrocinijs ſubleuemur: & fidem cōgrua deuotione ſectemur, Per Chriſtum &c.

℄ De ſanctis Philippo & Iacobo apoſtolis añ.

Labia eorum ſalutarem diſſeminauerunt ſcientiam: opus ſanctum, dignum benedictione, plenum fecerunt, & miniſterium ſibi traditum deuote impleuerūt. ℣. Annunciauerūt opera dei. ℟. Et facta eius intellexerunt. Oratio.

Apoſtolorum tuorum Philippi & Iacobi nos quęſimus domine attolle præſidijs: vt quorum memoriam agimus, eorum precibus adiuuemur, Per Chriſtū dominū &c.

℄ De ſancto Bartholomæo Antiphona.

O præclarū lumē Indiæ, ô inſigne decus vniuerſalis eccleſiæ, Bartholomæe apoſtole: te deprecamur nos chriſticolæ, vt cū ſederis inter iudicantes, ſummo iudici commendes nos ſupplicātes. ℣. Voto precamur ſupplici: vt precibꝰ apoſtoli, ℟. Nos à reatu liberi, poſſimus deo perfrui. orō

Quæſimus omnipotens deus, vt beatus Bartholomæus apoſtolus tuū pro nobis imploret auxilium: vt ab omnibus reatibus abſoluti, à cūctis etiam periculis eruamur, Per Chriſtum dominum &c.

¶De sancto Matthæo Antiphona.

Cũ vidisset dominus Matthæũ in telonio sedẽtem, vocauit eũ. at ille mox relictis omnibus surgẽs secutus est dominũ Iesum æternæ vitæ largitorẽ. ℣. Qui sequitur me: nõ ambulat in tenebris. ℟. Sed habebit lumen vitæ, dicit dñs. Orõ.

Beati Matthæi apostoli tui & euangelistæ domine precib⁹ adiuuemur: vt quod possibilitas nostra nõ obtinet, eius nobis intercessione donetur, Per Christũ dominum &c.

¶De sanctis Simone & Iuda Antiphona.

Isti sunt angelica solidati claritate, inclyti apostoli Simon & Iudas, quorũ germanitas à Christo inter immania fuit fulcita tormenta: omnes precamur vt eorum intercessione à dño subleuemur. ℣. Nimis honorati sunt amici tui deus. ℟. Nimis cõfortatus est principatus eorũ. Oratio.

Da nobis quæsimus domine sanctorum apostolorum tuorum Simonis & Iudæ intercessionibus subleuari: vt per quos ecclesiæ tuæ superni muneris rudimenta donasti, per eos subsidia perpetuæ salutis impendas, Per Christum dominum nostrum. Amen.

¶De sancto Matthia Antiphona.

Orantibus ad dominum apostolis, vt quem Iudę proditoris loco eligeret, ostẽdere dignaretur: diuina sorte Matthias in apostolum electus est. ℣. Elegit dominus virum de plebe sua. ℟. Et claritatem visionis æternæ dedit illi. Oratio.

Deus qui beatũ Matthiam apostolorum tuorũ collegio sociasti, tribue quæsimus eius interuẽtione tuæ circa nos pietatis semper viscera sentiamus, Per Christnm &c.

¶De omnibus apostolis Antiphona.
Isti sunt viri sancti quos elegit dominus in charitate non ficta, & dedit illis gloriam sempiternam, quorum doctrina fulget ecclesia vt sol & luna. ℣.In omnem terram exiuit sonus eorum. ℟.Et in fines orbis terræ verba eorum. Oratio.

Deus qui nobis per ministeriū beatorum apostolorum, euangelistarum, atq; discipulorum tuorū veritatem euangelij patefieri voluisti: concede propitius, vt quod ab illorum ore didicimus, gratia tua adiuuante operari valeamus, Per dominū nostrū Iesum Christum filium tuum, Qui tecum viuit & reg. &c.

¶De sancto Stephano Antiphona.
Aue senior Stephane, aue martyr paradoxe, qui inter agmina plebis Iudaicæ velut lampas ardētissima apparuisti domine, nunc sidus inter sidera cælestia aulæ, succurre huic familiæ gratissima tua interuentione. ℣. Ora pro nobis beate protomartyr Stephane. ℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi. Oratio.

Da nobis quęsimus dn̄e imitari quod colimus: vt discamus & inimicos diligere, quia eius cōmemorationem agimus qui nouit etiam pro persecutoribus suis exorare Iesum Christum dominum nostrum. Amen

¶De sancto Dionysio Antiphona.
O beate Dionysi magna est fides tua, intercede pro nobis ad dominum deum nostrum, vt qui qualitate tibi sumus dissimiles: sua gratia largiente cælestium gaudiorum faciat esse cōsortes. ℣.Ora pro nobis beate Dionysi. ℟.Vt digni efficiamur promissionibus Christi. Oratio.

Deus qui beatum Dionyſium martyrem tuum virtute conſtantiæ in paſſione roboraſti, quiq; illi ad prædicandum gentibus gloriam tuam, Ruſticum & Eleuteriũ ſociare dignatus es: tribue nobis quæſimus ex eorum imitatione pro amore tuo proſpera mundi deſpicere & nulla ei9 aduerſa formidare, Per dominum noſtrũ Ieſum Chriſtũ filium tuũ &c.

¶De ſancto Laurentio Antiphona.

Beatus Laurẽtius dum in craticula igni ſuperpoſitus vreretur: ad impijſſimum tyrannum dixit. Aſſatus ſum iam, verſa & manduca. nam & facultates eccleſiæ quas requiris, in cæleſtes theſauros manus pauperum deportauerunt. ℣. Diſperſit dedit pauperibus. ℟. Iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Oratio.

Da nobis quæſimus omnipotẽs deus vitiorũ noſtrorũ flãmas extinguere: qui beato Laurẽtio martyri tuo tribuiſti tormentorũ ſuorũ incendia ſuperare. Per Chri. &c.

¶De ſancto Sebaſtiano Antiphona.

Egregie Chriſti martyr Sebaſtiane, princeps ac propagator ſanctiſſimorũ præceptorũ, ecce nomen tuum in libro vitæ cæleſtis aſſcriptũ eſt: & memoriale tuum nõ derelinquetur in ſecula. ℣. Gloria & honore coronaſti eũ domine. ℟. Et cõſtituiſti eum ſuper opera manuũ tuarũ. Oratio.

Omnipotens ſempiterne deus, qui meritis beati Sebaſtiani martyris tui glorioſiſſimi: olim peſtem epidimię generalẽ, omnibus mortiferam reuocaſti: præſta ſupplicibus tuis, vt qui pro ſimili peſte reuocanda, ſiue ceſſanda, ſub tua confidentia ad ipſum refuge-

rint,eiuſdem meritis & precibus,ab omni peſte epidimiæ, & ab omnibus nocumentis venenoſis,necnon ab omnibus corporis & animę periculis,ac à ſubitanea & improuiſa morte,ab omnibuſq; inimicis viſibilibus & inuiſibilibus ſingulis dieb9, horis atq; momētis liberemur,Per.

¶De ſancto Vincentio Antiphona.

Vir inclytus Vincentius martyr domini precioſus, ſuccēſus igni diuini amoris cōſtanter ſuſtinuit ſupplicia paſſionis, & per immanitatē tormētorum peruenit ad ſocietatē angelorū,cuius interceſſio nobis obtineat veniā,qui per tormēta paſſionis æternā meruit palmā & ſempiternā coronā. ℣. Vincenti dabo manna abſcōditū. ℟. Et nomen nouum ſcriptū in libro vitę. Orō.

DEus qui beatum Vincētium martyrem tuum inter vincula liberū:& inter tormenta ſecurum tuæ gratiæ vbertate feciſti:quæſimus immēſam clementiam tuam,vt eius interceſſione nobis flammas corporalium paſſionum miſericordiæ tuæ imbre extinguas, & ignem beatæ charitatis infundas,Per do.&c.

¶De ſancto Lamberto epiſcopo Antiphona.

Magna vox laude ſonora te dæcet per omnia, quo poli chorea gaudēt aucta tali compare,terra plaudit & reſultat digna tanto præſule.ô ſacer Lamberte martyr,noſtra vota ſuſcipe. ℣. Iuſtus vt palma florebit. ℟. Et ſicut cedrus Libani multiplicabitur. Oratio.

DEus qui beatum Lambertum pontificē palma martyrij decoratū ſanctorū tuorū meritis coæquaſti:pręſta quęſimus, vt apud te ſit pro nobis perpetuus ſuffragator,

qui tui nominis extitit idoneus prædicator, Per dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ filium tuũ, Qui.

¶De ſancto Chriſtoforo Antiphona.

Sancte Chriſtofore martyr dei precioſe rogo te per nomẽ Chriſti creatoris tui, & per illud prærogatiuum quod tibi cõtulit quãdo nomen ſuũ tibi ſoli impoſuit, te deprecor in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, & per gratiã quam accepiſti vt erga deum & ſanctam ei⁹ genitricem mihi famulo tuo N. ſis propitius peccatori, quatenus tuo pio interuentu facias me vincere omnes qui cogitant mihi mala, & per illud leue onus quod eſt Chriſtus quod trans marinum flumen in humeris tuis feliciter portare meruiſti, alleuiare dignare præſentes meas ãguſtias, paupertates, tribulationes, malas & peruerſas machinationes, fraudulentas cõſpirationes, mendacia, falſa teſtimonia, occulta ſiue aperta conſilia: & alia quæ contra honorem meum cogitando, vel conſpirando veritatis æmuli mihi ſeruo tuo inferre conantur, vt vita comite & ſaluo honore tecum gaudere valeam in ſecula ſeculorum.

℣. Ora pro nobis beate Chriſtofore. ℟. Vt digni efficiamur promiſſione Chriſti. Oratio.

Deus qui beatum Chriſtoforum martyrem tuũ virtute conſtantiæ in paſſione roboraſti, quiq; vnigenitũ tuum dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ in ſuis humeris mirabiliter portari voluiſti, cõcede propitius, vt qui eius cõmemorationẽ agimus, ipſius meritis ad regna cæleſtia peruenire mereamur, Per Chri.

¶De vno martyre in communi Antiphona.

Iſte ſãctus pro lege dei ſui certauit vſq; ad mor

tem, & à verbis impiorum non timuit. fundatus enim erat ſupra firmam Petram. ℣. Beatus vir qui ſuffert tentationem. ℟. Quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Oratio.

PRæſta quęſimus omnipotēs deus: vt qui beati N. martyris tui memoriā agimus: interceſſione ei⁹ in tui nominis amore roboremur, Per Chriſtum dominū noſtrū. Amen

℃ De omnibus martyribus Antiphona.

Gaudent in cælis animæ ſanctorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti. & quia pro eius amore ſanguinem ſuum fuderunt: ideo cum Chriſto exultant ſine fine. ℣. In martyrum vulneribus tua ô Ieſu vulnera recolentes. ℟. Munera tibi laudis offerimus, & ſaluari depoſcimus. Oratio

OMnipotēs ſempiterne de⁹: qui nos idoneos non eſſe perpendis ad maieſtatem tuam ſicut dignū eſt exorandā: da ſanctos tuos pro noſtris ſupplicare peccatis, quos digne poſſis audire, Per Chriſtū dominum &c.

℃ De ſancto Gregorio Antiphona.

O Gregori dulciſſimum ſancti ſpiritus organum atq; virtutum ſpeculum: poſce nobis ſuffragium vt hoc poſſimus conſequi quo te gaudemus perfrui. ℣. Ora pro nobis beatiſſime pater Gregori. ℟. Vt digni efficiamur pro Oratio

DEus qui animæ famuli tui Gregorij æternæ beatitudinis præmia cōtuliſti: cōcede propitius, vt qui peccatorum noſtrorum pondere præmimur, eius apud te precibus ſubleuemur, Per Chriſtum dominum &c.

℃ De ſancto Hieronymo Antiphona.

O lampas eccleſiæ, ô iubar ſingulare: doctor ſa-

pientiæ,decuſq; ſalutare, inclyte Hieronyme,ô doctor deo chare,in lacu miſeriæ nos regere dignare. ℣.Ora pro nobis beate Hieronyme. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. orõ

DEus qui nobis per beatum Hieronymũ confeſſorẽ ſacerdotemq; tuum ſcripturæ ſanctæ veritatem ac myſtica sacramenta reuelare dignatus es: præſta quæſimus, vt cuius memoriam agimus, & erudiamur doctrinis, & meritis adiuuemur, Per Chriſtũ &c.

¶De ſancto Auguſtino Antiphona.

Salue gemma confeſſorum,ſcriba vitæ,lux doctorum,præſul beatiſſime:qui te patrem venerantur,per te vitam cõſequantur beatorum animæ. ℣.Ora pro nobis pie pater Auguſtine. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. orõ

ADeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens deus:vt quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges,intercedẽte beato Auguſtino cõfeſſore tuo atq; põtifice, conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectũ, Per do. &c.

¶De ſancto Ambroſio Antiphona.

O magnũ ſacerdotẽ,virũ ſanctũ Ambroſiũ: cuius fide & doctrina roborata eſt eccleſia,cui⁹ vita caſta fuit & oratio pura,cuius poſt mortẽ anima migrauit ad regna cælestia.℣.Ora pro nobis beate Ambroſi. ℟.Vt digni efficiamur. Oratio.

SAncti Ambroſij cõfeſſoris tui atq; põtificis nos queſimus dñe iugiter proſequatur oratio, vt quod petitio noſtra non impetrat, ipſo pro nobis intercedẽte præſtetur, Per.

¶De ſancto Martino Antiphona.

O beatũ pontificem qui totis viſceribus dilige-

bat Christi regnum,& non formidabat imperij principatum. ô Martini dulcedo, medicamentū & meritū, ô sanctissima anima, quam si gladius persecutoris non abstulit, palmā tamen martyrij non amisit. ℣. Ora pro nobis beate Martine. ℟. Vt digni efficiamur promissione Christi. Orō

DEus qui populo tuo æternæ salutis beatum Martinū ministrū tribuisti: cōcede quæsimus nobis vt qui executor māda torum tuorū extitit in terris, intercessor noster semper esse dignetur in cælis, Per Christum &c.

De sancto Nicolao Antiphona.

Salue presul gloriose, sancte Christi preciose Nicolae: castitati, virginumq́ʒ paupertati copiose subuenisti, mari nautas redemisti vita penè desperatos, atqʒ morti cōdemnatos innocētes tres milites, totq́ʒ soluisti iuuenes, simulachrūqʒ Dianę cōfregisti mox inane, Christianus suscitatus, & Iudæus baptizatus tuis extitit precibus, baptizatur Teloneus, dum fur opes instituit quas tuæ figuræ tribuit. his & alijs miraculis decoratum innumeris deposcimus pijssime, ad Christū mentes dirige, impetra bene viuere nobis & donum gratię, vt delictorū venia nobis detur in patria. Amen. ℣. Beatus Nicolaus adhuc puerulus, ℟. Multo ieiunio macerabat corpus. Orō.

DEus qui beatū Nicolaū pium pontificē tuū innumeris decorasti miraculis: tribue quæsimus vt eius precibus & meritis à gehēnæ ignis incēdijs liberemur, Per do.

De sancto Francisco Antiphona.

O verū luciferū, fulgentē, mundi vesperæ splendentē in æthere, sole perlustratū, ô Frācisce pau

perum pater,iam regnans prospere,nos exaudi propere,regnum dans optatū. ℣ Ora pro nobis beate pater Frācisce. ℟ Vt digni efficia. Oratio

DEus qui ecclesiam tuam beati Francisci meritis fœtu nouę prolis amplificas,tribue nobis ex ei⁹ imitatione terrena despicere,& cęlestiū bonorū semper participatione gaudere,Per Christū dominū nostrū. Amen

¶ De sancto Antonio Antiphona.

O lampas ardēs in virtute,ô lucerna supra candelabrum posita Antoni serue Christi,ad cuius suffragia languētium suspirāt vota,cōfer nobis vitæ subsidia,vt per tua merita,valeamus cuncta euadere pericula, & gehennæ ignis incēdia. ℣ Ora pro nobis beate pater Antoni. ℟ Vt digni efficiamur promissionibus Christi. Oratio.

OMnipotens sempiterne deus maiestatē tuā suppliciter exoramus, vt sicut beatus Antonius confessor tuus gloriosus multitudinem dæmonum cooperante spiritu sancto contriuit,ita suis meritis & patrocinijs à dæmonum insidijs liberemur, Per Christū do.

¶ De sancto Bernardo Antiphona.

Odoriferū lilium in ęternū ante dominū germinās & florens, spargēs vbiq; viuificū suauitatis odorē Bernarde cōfessor inclyte,cuius apud nos memoria ī benedictione est:apud superos,pręsens in honore: fac nos canētes te tātæ plenitudinis cælestis regni participio non fraudari. ℣ Ora pro nobis beate pater Bernarde. ℟ Vt. orō

PErfice in nobis domine quæsimus pium sancte religionis effectum: & ad obtinēdam tuæ gratiæ largitatē,beatus Bernar

dus abbas & doctor egregius, ſuis apud te ſemper pro nobis meritis & precibꝰ intercedat, Per.

¶De vno confeſſore in communi Antiphona.

Iſte ſanctus digne ad memoriam vertitur hominum qui ad gaudium tranſijt angelorum: quoniā in hac peregrinatione ſolo corpore cōſtitutus, cogitatione & auiditate in illa ęterna patria couerſatus eſt. ℣. Iuſtus germinabit ſicut lilium. ℟. Et florebit in ęternum ante dominum. Orō

INterceſſio nos quæſimus tibi dn̄e beati N. cōfeſſoris tui cōmēdet: vt quod noſtris meritis non valemus, eius patrocinio aſſequamur, Per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

¶De omnibus confeſſoribus Antiphona.

Sancti per fidem vicerunt regna: operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones. ℣. Iuſti autem in perpetuum viuent. ℟. Et apud dominum eſt merces eorum. Oratio.

SAnctorum confeſſorum tuorū quæſimus meritis & precibꝰ adiuuemur: vt quod fragilitas noſtra nō obtinet, eorum nobis qui ante te iuſti inuēti ſunt, oratione donetur, Per.

¶De ſancta Anna Antiphona.

Aue felix Anna, per te detur nobis manna, conſoletur nos Chriſtus in patria, fac vt fructum videamus tui vētris, & dicamus, Aue plena gratia. ℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te deus in æternum. Oratio.

DEus qui beatæ Annæ tātam gratiā donare dignatus es, vt Mariā matrem vnigeniti tui in vtero ſuo portare mereretur: da nobis per interceſſionem matris & filiæ tuæ propitiationis abundātiam, vt quarum cō-

memoratione pio amore amplectimur, earum precibus & meritis ad cæleste Hierusalem peruenire valeamus, Per dominum nostrum &c.

¶ De sancta Maria Magdalena Antiphona.

Beata Maria Magdalena quæ dn̄m post resurrectionē videre meruisti prima: intercede pro nobis omnib9 te pie recolētib9. ℣. Dimissa sunt ei peccata multa. ℟. Quoniā dilexit multum. orō

LArgire nobis clementissime pater quòd sicut beata Maria Magdalena dominum nostrum Iesum Christum super omnia diligēdo, suorum obtinuit veniam peccatorum: ita nobis apud misericordiam tuam sempiternam imploret beatitudinem, Per Christum &c.

¶ De sancta Caterina Antiphona.

Aue virgo speciosa, clarior sideribus cuius vultum ac decôrē concupiuit dominus, funde preces creatori pro tuis supplicibus. ℣. Ora pro nobis beata Caterina. ℟. Vt digni efficia. Oratio.

DEus qui dedisti legem Moysi in summitate mōtis Synai, &in eodē loco corpus beatę Caterinę virginis & martyris tuę per sanctos angelos tuos mirabiliter collocasti, tribue quæsimus, vt eius precibus & meritis ad montem qui Christus est, peruenire valeamus, Per Christum dominum nostrum. Amen.

¶ De sancta Barbara Antiphona.

Aue virgo speciosa, aue martyr gloriosa, Barbara egregia, patri carnis odiosa, Christo regi gratiosa, fidei constantia: tua prece preciosa, nos à vita erumnosa, vera duc ad gaudia. ℣. Ora pro nobis beata virgo Barbara. ℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi. Oratio.

INtercessio quæsimus domine beatæ Barbaræ virginis & martyris tuę nos ab omni aduersitate defendat, vt per interuentum eius gloriosum, sacrosanctum corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi sacramentum, cum vera contritione, & pura confessione ante huius vitæ exitum percipere valeamus, Per Christũ.

¶ De sancta Margareta Antiphona.

Veni sponsa Christi: accipe coronam quam tibi dominus præparauit in æternum, pro cuius amore sanguinẽ tuũ fudisti, & cum angelis paradisum introisti. ℣. Specie tua & pulchritudine tua. ℟. Intẽde prospere, procede, & regna. Orõ.

DEus qui beatam Margaretam virginem ad cælos per martyrij palmam perueni re fecisti: cõcede quæsimus, vt nulla impiorum hominũ tormenta formidãtes: ambulemus iuxta euãgeliũ regni, & tandẽ mortui cũ filio tuo & cõsepulti, perueniamus ad vitam, Per.

¶ De vndecim milibus virginum Antiphona.

Benedictus es rex gloriæ, qui palmam victoriæ dedisti virginibus: & sexum fragilẽ sine viribus vincere fecisti dæmonis virtutẽ, quarũ pijs precibus nobis supplicãtibus tribuas salutẽ. ℣ Sancta Vrsula cum sodalib⁹ tuis ora pro nobis. ℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi. orõ

DEus qui tibi digne sacratis virginib⁹ mirandi agonis robur indidisti, quo per martyrij palmam ad supernæ contemplationis pertingerent gloriã: da quæsimus earum nos intercessionibus adiuuari: quas cũ beata Vrsula trãscenso mortis stadio in cælestibus fecisti triumphari, Per Christum dominum &c.

¶ De vna virgine in communi Antiphona.

Hæc est virgo sapiẽs quã dominus vigilantẽ inuenit, quæ acceptis lampadibus sumpsit secum oleum, & veniẽte spõso introiuit cum eo ad nuptias. ℣. Elegit eam deus & preelegit eam. ℟. Et habitare eam facit in tabernaculo suo. Oratio.

OMnipotens sempiterne deus qui infirma mundi eligis vt fortia quæq̃ cõfundas: concede propitius, vt qui beatæ N. virginis tuæ memoriã agimus, eius apud te patrocinia sentiamus, Per Christum dominũ &c.

¶ De omnibus virginibus Antiphona.

Istæ sunt prudẽtes virgines, quę accepto oleo in vasis suis cum lãpadibus suis, exierũt obuiã spõso & spõsæ. quo veniẽte, intrauerũt quæ paratę erant cũ eo ad nuptias. ℣. Adducẽtur regi virgines post eã. ℟. Proximæ ei⁹ afferẽtur tibi. Orõ.

DEus dilector iustitiæ & semper osor nequitiæ, qui cõcupiscis decõrẽ pulchritudinis virgineæ, da vt sanctarũ virginũ tuarũ intercedẽtibus meritis, virtutũ repleti copijs amorẽ cõsequamur tuę dilectionis, Per &c.

¶ De omnibus sanctis Antiphona.

Beati estis sancti dei q̃ voluit vos Christus consortes fieri cælestiũ virtutum, ac perfrui æternę claritatis gloria: ideoq̃ precamur vt memores nostri intercedere dignemini pro nobis ad dñm Iesum Christum. ℣. Beati qui habitãt in domo tua dñe. ℟. In secula seculorũ laudabunt te. orõ

COncede quęsimus omnipotẽs de⁹ vt intercessio nos sanctæ dei genitricis virginis Marię, beatarũq̃ omniũ cælestiũ virtutũ, sanctorũ, patriarcharum, prophetarũ, apo

ſtolorũ,martyrũ,cõfeſſorũ, virginũ ac omnium ſanctorũ electorum tuorũ vbiq; nos lætificet & adiuuet:vt dum eorũ gratuita dona recolimus, etiã patrocinia ſẽtiamus, Per eũdẽ Chriſtũ &c.

¶De corpore Chriſti añ. O ſacrum conuiuiũ in quo Chriſtus ſumitur,recolitur memoria paſſio nis eius,mens impletur gratia,& futuræ gratiæ nobis pignus datur. Alleluia. ℣. Panẽ cæli dedit eis. ℟. Panem angelorũ manducauit homo. orõ

DEus qui nobis ſub ſacramento mirabili, paſſionis tuæ memoriã reliquiſti:tribue quæſimus ita nos corporis & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari, vt redẽptionis tuæ fructũ in nobis iugiter portemus. Qui vi. &c.

¶Sequũtur plures petitiones & orationes. Primo quando ſurgis mane. In matutinis domine meditabor in te:quia fuiſti adiutor meus. Orõ.

GRatias ago tibi dñe omnipotẽs æterne deus qui me in hac nocte nõ meis meritis, ſed tua ſancta miſericordia cuſtodire dignatus es:concede mihi dñe diẽ iſtũ in tuo ſancto ſeruitio ita peragere,vt tibi placeat obſequiũ ſeruitutis animæ meæ, Per Chriſtum &c.

¶Quando exibis domũ tuã dic. Vias tuas dñe demõſtra mihi,& ſemitas tuas edoce me. Greſſus meos dirige ſecũdũ eloquiũ tuũ:vt nõ dominetur mei omnis iniuſtitia. Dirige greſſus meos in ſemitis tuis: vt non moueãtur veſtigia mea.

¶Accipiẽdo aquam benedictam dic. Aſperges me domine hyſſõpo,& mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Miſerere mei de9 ſecũdum magnam miſericordiam tuã. Gloria patri,& filio, & ſpiritui ſancto. Aſperges me &c.

‡

¶ Dicenda ante imaginem crucifixi.
Salua nos Chriſte ſaluator per virtutem ſanctæ paſſionis:qui ſaluaſti Petrum in mari miſerere noſtri. ℣.Omnis terra adoret te deus,& pſallat tibi. ℟ Pſalmum dicat nomini tuo. Oremus.

CRucē paſſionem tuā adoramus & veneramur dn̄e Ieſu Chriſte:&per ipſam clemētiā tuā humiliter imploramus, vt nobis peccatorib⁹ miſereri & parcere digneris qui pro nobis dignatus es naſci de virgine Maria, Qui.

¶ Quando preſbyter ſe vertit.Spiritus ſancti gratia illuſtret & illuminet cor tuū & labia tua: & accipiat dominus hoc ſacrificium de manib⁹ tuis dignū pro peccatis & offēſionibus noſtris.

¶ In eleuatione corporis domini.
Anima Chriſti ſanctifica me,corpus Chriſti ſalua me, ſanguis Chriſti inebria me, aqua lateris Chriſti laua me,paſſio Chriſti conforta me, ſudor vultus Chriſti virtuoſiſſimi ſana me.O bone Ieſu exaudi me,& ne permittas me ſeparari à te,ab hoſte maligno defende me,in hora mortis voca me, & pone me iuxta te, vt cum angelis & ſanctis tuis laudem te dominum ſaluatorem meum in ſecula ſeculorum.Amen.

¶.In eleuatione calicis.
AVe vere ſāguis domini noſtri Ieſu Chriſti qui de latere eius cum aqua fluxiſti: tu mihi ſis conſilium,protectio atq; defenſio corporis & animæ in præſenti vita & in futuro ſeculo,per infinita ſeculorū ſecula.Amē

¶Salue ſancta caro dei per quam ſalui fiūt rei, ſeruos tuos redemiſti dum in cruce pependiſti. Vnda quæ de te manauit,à peccato nos mūda-

uit quod patrauit primus homo inobediens de pomo. Sancta caro tu me munda, sanguis & benigna vnda laua me ab omni sorde & ab infernali morte: per tuam benignitatem cōfer mihi sanitatem. Frange meos inimicos: fac eos mihi amicos & superbiam illorum destrue rex angelorum. Tu qui es salutis portus præsta mihi tuum corpus in exitu meæ mortis: libera me deꝰ fortis à leone rugiēte, draconeq́ꝫ furiente, da mihi fidem viuam in secula seculorum. Amen.

¶Quando capitur pax.

Da pacē domine in diebus nostris: quia non est alius qui pugnet pro nobis nisi tu deus noster.

¶In sumptione corporis Christi.

Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum: sed tu domine qui dixisti, Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinē, in me manet & ego in eo: propitius esto mihi peccatori per sumptionem corporis & sanguinis tui, & præsta vt non ad iudicium damnationis illud sumā, sed misericordia tua tribuēte in salutem & remissionem peccatorum meorū, Qui viuis & regnas deus, Per.

¶Quando recepisti.

Vera perceptio corporis & sanguinis tui deus omnipotens non mihi veniat ad iudicium neque ad condemnationem: sed sit omnium peccatorum meorum optata remissio, animæ & corporis mei pia gubernatio, & potens ad vitam præsentem & æternā introductio, Per dominū nostrū Iesum Christū filiū tuū, Qui tecū viuit & regnat in vnitate spiritus sancti deus, Per omnia secula seculorū. Amen.

¶ Oratio dicenda die Sabbati ad honorem intemeratæ dei genitricis virginis Mariæ.

MIssus est Gabriel angelus ad Mariā virginē desponsatā Ioseph, nunciās ei verbum, Aue Maria gratia plena, dominus tecū. Missus est Gabriel angelus ad Mariā virginem. Aue Maria gratia plena, dominus tecum. Missus est Gabriel angelus ad Mariā virginem. Aue Maria gratia plena, dn̄s tecū. Imperatrix reginarū, Dominus tecū. Laus sanctarū animarū, dn̄s tecū. Vera saluatrix earū, dn̄s tecū. Excellentissima regina cælorum, dn̄s tecū. Venerāda domina angelorum, dn̄s tecū. Omniū plena virtutum, dn̄s tecū. Flos florum, dn̄s tecū. Lilium cōuallium, dn̄s tecum. Mediatrix dei & hominum, dn̄s tecum. Indeficiēs gaudium, dn̄s tecū. Rosa sine spina, dominus tecum. Stella matutina, dn̄s tecum. Virgo dei inuiolata, dn̄s tecum. Virgo & nupta, dn̄s tecum. Virgo dei intacta, dn̄s tecum. Virgo incorrupta, dn̄s tecum. Virgo deo grata, dn̄s tecum. Virgo ante partum, dn̄s tecū. Virgo in partu, dn̄s tecū. Virgo post partum, dn̄s tecum. Splēdor inextinguibilis lucis, dominus tecū. Virgo inæstimabilis, dn̄s tecum. Virgo immarcessibilis vitis, dn̄s tecum. Vua germinās, dominus tecū. Virgo incōparabilis, dn̄s tecum. Virgo cui non est, nec erit similis, dn̄s tecum. Virgo speciosa, dn̄s tecum. Virgo generosa, dn̄s tecum. Virgo pulchra, dn̄s tecum. Fons misericordiæ cū omni copia, dn̄s tecum. Virgo eximia, dn̄s tecum. Virgo pia, dn̄s tecum. Virgo mater sine ruga, dn̄s tecū. Virgo dulcis Maria, dn̄s tecum. Laus prophetica, dn̄s tecum. Salo

monis fabrica,dn̄s tecū.Mater dei & virgo vnica dei filia,dn̄s tecum.Laus habitationis gloriæ dei,dn̄s tecum.Ortus cōclusus,dn̄s tecum.Fons signatus,dn̄s tecum.Aquæ viuæ puteus,dominus tecū.Paradisus cum pomorū fructibus,dn̄s tecum. Venter rore cælesti rigatus,dn̄s tecum. AEternitatis domus,dn̄s tecum.Veteris & noui testamēti armarium,dn̄s tecum.Spiritus sancti sacrarium,dn̄s tecum.Quæ angelo nunciante virgo cōcepisti. Dic decies Aue Maria.Postea semel Quę angelo. Et adhuc decies Aue Maria. Vera virgo & mater,dn̄s tecum. Mater dei veri,& veri hominis,dominus tecū.Mater Iesu Christi filij vnigeniti dei,dn̄s tecum.Mater pietatis,dn̄s tecum.Mater veritatis,dn̄s tecū.Mater charitatis,dn̄s tecum.Decus mulierum,dn̄s tecum.Mater orphanorum,dn̄s tecum.Cōsolatio desolatorum,dn̄s tecum. Cōpassio afflictorum,dn̄s tecum.Via errantiū,dn̄s tecum.Salus omnium in te sperātium,dn̄s tecum. Arca dei, dn̄s tecum.Tēplum domini,dn̄s tecum.Sacrarium spiritus sancti,dn̄s tecum.Reclinatorium Iesu Christi,dn̄s tecum.Luminare cæli, dn̄s tecum.Spōsa dei,dn̄s tecum.Prophetarum oraculum,dn̄s tecum.Dei vmbraculū,dn̄s tecum.Pastoris tabernaculum, dn̄s tecum. Cōpletum est in te cōsilium,dn̄s tecum. Vera virgo & mater, quæ filium dei genuisti, verum deum & verum hominē:qui angelo nunciante cōceptus est,dn̄s tecum. Vera virgo & mater,quæ filium dei genuisti,verū deum & verum hominē:qui pro nobis ex te natus est,dn̄s tecum.Vera virgo & mater, quæ filium dei genuisti verū deum & verū

hominẽ:qui pro nobis inter vlnas Simeonis ſan ctiſſimi in templo receptus eſt,dñs tecum. Vera virgo & mater, quæ filiũ dei genuiſti verũ deũ & verum hominẽ: qui pro nobis cæſus eſt, dñs tecum. Vera virgo & mater,quę filiũ dei genui⸗ ſti verũ deum & verũ hominẽ:qui pro nobis ſpi nis coronatus eſt,dñs tecũ. Vera virgo & mater, quæ filiũ dei genuiſti verũ deum & verũ homi⸗ nem:qui pro nobis clauis crucifixus eſt, dñs te⸗ cum. Vera virgo & mater,quæ filiũ dei genuiſti verũ deum & verũ hominẽ:qui pro nobis in cru ce pendens,virginẽ matrẽ virgini cõmendauit, ita dicẽs,Mulier,ecce filius tuus. Deinde ad di⸗ ſcipulũ,Ecce mater tua,dñs tecum. Vera virgo & mater,quæ filiũ dei genuiſti verũ deum & ve rum hominẽ:qui pro nobis in cruce pendẽs,ex⸗ clamauit dicẽs, Eli,Eli,lãma azabtani? Et incli⸗ nato capite,tradidit ſpiritũ,dñs tecũ. Vera vir⸗ go & mater,quę filiũ dei genuiſti verũ deum & verũ hominẽ:qui pro nobis immolatus eſt,dñs tecum. Vera virgo & mater,quæ filiũ dei genui ſti verũ deum & verũ hominẽ:cuius latus lãcea perforatũ eſt,& cõtinuo exiuit ſanguis & aqua in redẽptionẽ animarũ noſtrarũ,pro ſalute mũ di ad vitã æternã,dñs tecum. Vera virgo & ma⸗ ter,quæ filiũ dei genuiſti verũ deum & verũ ho minẽ:cuius corpus per Ioſẽph de cruce depoſi⸗ tum eſt,dñs tecum. Vera virgo & mater,quæ fi lium dei genuiſti verũ deum & verum hominẽ: cuius corpus in lintheis cum aromatibus in mo numẽto nouo poſitũ eſt,dñs tecum. Vera virgo & mater,quæ filiũ dei genuiſti verũ deum & ve rum hominẽ:qui pro nobis ſepultus eſt,dñs te⸗

cum. Vera virgo & mater, quæ filiũ dei genuiſti verũ deum & verũ hominẽ: qui deus & homo tertia die reſurrexit à mortuis, dominus tecum. Vera virgo & mater, quæ filiũ dei genuiſti verũ deum & verũ hominẽ: qui deus & homo primo beatæ Mariæ Magdalenæ, poſtea diſcipulis apparuit, dñs tecum. Vera virgo & mater, quæ filium dei genuiſti verũ deũ & verũ hominẽ: qui de⁹ & homo cũ peregrinis cœnauit, dñs tecum. Vera virgo & mater, quæ filiũ dei genuiſti verũ deum & verũ hominẽ: qui deus & homo videntibus galilæis ad cælos aſcendit, dñs tecum. Vera virgo & mater, quæ filiũ dei genuiſti verum deum & verũ hominẽ: qui deus & homo aſcẽdit ſuper omnes cælos: & præparauit ſuę caſtiſſimę matri locũ immortalitatis, dñs tecum. Vera virgo & mater, quæ filium dei genuiſti verũ deum & verum hominem: qui deus & homo ad dexteram dei ſedens, ſpiritum paracletum diſcipulis ſuis miſit, dominus tecũ. Vera virgo & mater, quæ filium dei genuiſti verum deum & verum hominẽ, qui deus & homo vẽturus eſt iudicare viuos & mortuos & ſeculum per ignem. Oratio

TE deprecor ergo mitiſſimã, pijſſimam, miſericordiſſimã, caſtiſſimã, ſpecioſiſſimã dei genitricẽ Mariam, ſemper virginum gẽmam: vt in ſancto, tremendo, ac terribili iudicio, in conſpectu vnigeniti filij tui, cui pater dedit omne iudicium, me liberes & protegas à pœnis inferni: & participem me facias cæleſtium gaudiorum, Præſtãte eodem domino noſtro Ieſu Chriſto, Qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Horę cõceptionis beatę Marię virg. Ad mat. ℣.

DOmine labia mea aperies. ℟. Et os meum annunciabit laudẽ tuã. ℣. Deus in adiutoriũ meũ intẽde. ℟. Dñe ad adiuuãdũ me, festina Gloria patri, & filio, & spiritui sancto. Sicut erat in principio, &c. Hymnus.

FLetus longæui rex regum misertus, angelum mittit gaudiũ pro luctu: vt dicat Annæ, Tempore senili prolem habebis.

Etenim verbi concipies matrem Anna tu gaude: quoniam nec talem esse nec credas futuram. hanc dicent omnes beatam.

Ioachim magno gaudio repletur, vocẽ dum audit angeli dicẽtis, Pariet tibi Anna matrem dei grandem præ cunctis.

Gloria patri genitæq; proli, flamini sancto virginiq; matri: quæ dei natum genuit hominem, sit laus perennis. ℣ Necdum erant abyssi. ℟. Et ego iam concepta eram. Oratio.

DEus ineffabilis misericordiæ, qui primæ piacula mulieris per virginẽ expiãdam sanxisti: da nobis quæsimus cõceptionis eius memoriã digne venerari, quæ vnigenitum tuũ virgo cõcepit & virgo peperit dominũ nostrũ Iesum Christũ filiũ tuũ, Qui. Ad primã. ℣.

DEus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me, festina. Gloria patri. Sicut erat &c. Hymnus.

TErminus noctis æternus aurora reddidit mundo, præmittẽs gaudium mundi stellam matutinam præuiam solis.

In ortu lucis, stellæ maris, pontus, terra lætan-

tur,gaudeat peccator:naſcitur mater redempto
ris,Maria clemens.
C ælici ciues reges terrę colunt,ſterilis parit,mi
ratur natura,ſtupet infernus vidẽs ſine labe vir
ginem naſci. G loria patri genitæq́ꝫ proli,flami
ni ſancto virginiq́ꝫ matri quę dei natum genuit
hominẽ,ſit laus perẽnis.℣.Cõceptionẽ virginis
Mariæ cum gaudio celebremus. ℟.Vt ipſa pro
nobis intercedat ad dominũ Ieſum Chriſtũ.orõ
D Omine Ieſu Chriſte lux vera quę illumi
nat omnẽ hominẽ venientẽ in hunc mũ
dum,da nobis ortũ genitricis tuę digne
celebrare,vt eius interceſſione,lucis præmiũ va
leamus obtinere, Qui viuis &c. Ad tertiam ℣.
D Eus in adiutorium meum intende. ℟.
D omine ad adiuuandum me, feſtina.
G loria patri. S icut erat &c.Hymnus.
S Alutẽ mundo tribuere volẽs è cælis deus,
angelum Mariæ mittit: vt dicat,eam ſa-
lutando,Aue Maria.
Gratia plena cõcipies deũ.hoc tibi ſignũ,Helizá
bet tua parẽs cõcepit ſteriliſq́ꝫ filiũ,ĩ ſenectute.
P uella gaudens Gabrielis ore ſuſcepit verba,re
ſpõdens ſic dicit,Ecce ancilla domini, fiatq́ꝫ hoc
verbũ tuũ.G loria patri genitæq́ꝫ proli,flamini
ſancto virginiq́ꝫ matri quæ dei natũ genuit ho-
minẽ,ſit laus perẽnis. ℣.Angelus dñi nunciauit
Mariæ. ℟.Et cõcepit de ſpiritu ſancto.Oratio.
D Eus qui de beatæ Mariæ virginis vtero
verbũ tuũ angelo nũciãte carnẽ ſuſcipe
re voluiſti:pręſta ſupplicib⁹ tuis,vt qui
verè eã dei genitricẽ credimus,ei⁹ apud te inter
ceſſionibus adiuuemur,Per do. &c. Ad ſextã ℣.

‡

DEus in adiutorium meum intende. ℟.
Domine ad adiuuandum me, festina.
Gloria patri. Sicut erat &c. Hymnus.

PVerum vatem habentem supremi aluo reclusum, cognatam, Maria montana Iudææ scandens, salutat festino gressu.
Mariæ vocem Helizábet audit, exultat infans in vtero clausus: prophetat mater dicens, Quia credis, concipies verbum.
Virgo tam mira audiēs & vidēs cāticum nouū, reddit creatori, dulce dās melos, Magnificat deū anima mea. Gloria patri genitęq; proli, flamini sancto virginiq; matri: quę dei natū genuit hominē sit laus perēnis. ℣. Vt facta est vox in auribus meis. ℟. Exultauit infans in vtero meo. orõ

OMnipotens sempiterne deus: qui ex abundantia charitatis tuæ beatam Mariam tuo filio impregnatā visitationē Helizábet inspirasti: præsta quæsimus vt qui eius visitationem celebramus, ipsius precib⁹ in præsenti ab omnibus aduersitatib⁹ liberemur, Per dominum nostrum Iesum &c. Ad nonā ℣.

DEus in adiutorium meum intende. ℟.
Domine ad adiuuandum me, festina.
Gloria patri. Sicut erat &c. Hymnus.

NAscitur mūdo verbum caro factum, solis trāscendēs lucē lux perfecta, tenebris lucem capere quam sui generis nolunt.
Gloriam deo, pacem terræ cantat chorus cælorum, lux oritur noua, custodes gregis cantus angelorum audiunt nocte.
Pastores currunt cantus audiētes, natum videre pannis inuolutum: Mariæ natum vident in

præſepe,redeũt lęti. Gloria patri genitæq́ꝫ proli, flamini ſancto virginiq́ꝫ matri,quæ dei natũ genuit hominẽ ſit laus perennis. ℣ Verbum caro factum eſt. ℟ Et habitauit in nobis. Oratio.

DEus qui ſalutis æternę beatę Mariæ virginitate fœcunda,humano generi præmia præſtitiſti,tribue quæſimus:vt ipſam pro nobis intercedere ſentiamus per quam autorem vitæ ſuſcepimus, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum. Ad veſperas ℣.

DEus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me, feſtina. Gloria patri. Sicut erat &c. Hymnus.

FOrte dum vides ortum vitæ mori, quis, quantus dolor, gladius pertranſit animã tuam genitrix tu Vitæ,ô clemens mater.

Corporis nati videns plagas, latus, ſanguinis fluxum, deriſorum verba: lachrymas fundens tunc ſubiaces humo,tu pia mater.

Me tecum flere plagaſq́ꝫ ſentire genitrix dona tua prece:nati lãcea,clauis,cruce ſpinis pũgi,fac dulcis mater. Gloria patri genitæq́ꝫ proli,flamini ſãcto virginiq́ꝫ matri,quę dei natũ genuit hominẽ ſit laus perẽnis. ℣. Hic poſitus eſt in ruinã. ℟. Et tuã ipſius animã pertrãſiuit gladius. oĩo

INteruieniat pro nobis domine Ieſu Chriſte nunc & in hora mortis noſtræ apud tuã clemẽtiã glorioſiſſima virgo Maria mater tua: cuius ſacratiſſimã animã in hora paſſionis tuæ gladius pertrãſiuit,Qui viuis. Ad cõpletoriũ ℣.

COnuerte nos deus ſalutaris noſter. ℟. Et auerte iram tuã à nobis. ℣. Deus in adiutoriũ meũ inten. ℟. Dñe ad adiu.

‡

Gloria patri. Sicut erat in prin. &c. Hymnus.
REginæ cæli ė domo defertur Iosaphat corpus, nihil reperitur ni locus, in quo mannaq́ꝫ de cælo ibidem esse.
Credimus pie sanctorum cum choris Iesum venisse, deo iubilantes animam corpus simul sociantes, in summo cælo.
Trinitas sācta suscipiēs matrē sertis coronat ter denis cētenis: gaudiū sēper iubilus ī æuū, sit tibi mater. Gloria patri genitęq́ꝫ proli, flamini sancto virginiq́ꝫ matri quę dei natū genuit hominē sit laus perēnis. ℣. Exaltata es sācta dei genitrix.
℟. Super choros āgelorū ad cælestia regna. oro
SVpplicationē seruorū tuorū apud tuā clementiā dei genitrix cōmendet oratio: quā iccirco de pręsenti seculo trāstulisti, vt pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat, Per dominum nostrū Iesum Christū filium &c.

❡Symbolum Athanasij.

QVicunqꝫ vult saluus esse: ante omnia opus est vt teneat catholicam fidem.
Quam nisi quisque integram inuiolatamq́ꝫ seruauerit: absque dubio in æternum peribit.
Fides autem catholica hæc est, vt vnū deum in trinitate: & trinitatem in vnitate veneremur.
Neqꝫ confundentes personas: neqꝫ substantiam separantes.
Alia est enim persona patris, alia filij, alia spiritus sancti.
Sed patris & filij & spiritus sancti vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.
Qualis pater, talis filius, talis spiritus sanctus.

Increatus pater, increatus filius, increatus spiritus sanctus.
Immensus pater, immensus filius, immensus spiritus sanctus.
AEternus pater, æternus filius, æternus spiritus sanctus.
Et tamen non tres æterni: sed vnus æternus.
Sicut non tres increati, nec tres immensi: sed vnus increatus & vnus immensus.
Similiter omnipotens pater, omnipotẽs filius: omnipotens spiritus sanctus.
Et tamẽ nõ tres omnipotẽtes: sed vnus oĩpotẽs.
Ita deus pater, deꝰ filius, deus spiritus sanctus.
Et tamen non tres dij: sed vnus est deus.
Ita dñs pater, dñs filius, dñs spiritus sanctus.
Et tamẽ nõ tres domini: sed vnus est dominus.
Quia sicut sigillatim vnamquanq; personam, deum ac dominum confiteri Christiana veritate compellimur: ita tres deos ac dominos dicere catholica religione prohibemur.
Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitꝰ.
Filius à patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus.
Spiritus sanctus à patre & filio est, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.
Vnus ergo pater: nõ tres patres. vnus filius: nõ tres filij. vnus spiritus sanctus: non tres spiritus sancti.
Et in hac trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.
Ita vt per oĩa (sicut iã supradictũ est) & vnitas in trinitate, & trinitas in vnitate veneranda sit.

Qui vult ergo ſalu⁹ eſſe,ita de trinitate ſentiat.
S ed neceſſariū eſt ad ęternā ſalutē:vt īcarnatio nē quoq; dñi noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat.
E ſt ergo fides recta, vt credamus & cōfiteamur quia dominus noſter Ieſus Chriſtus dei filius, deus & homo eſt.
D eus eſt,ex ſubſtātia patris āte ſecula genitus: & homo eſt,ex ſubſtātia matris in ſeculo natus.
P erfectus deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens.
AE qualis patri ſecundum diuinitatem: minor patre,ſecundum humanitatem.
Qui licet deus ſit & homo,non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus.
V nus autem,non conuerſione diuinitatis in carnem ſed aſſumptione humanitatis in deum.
V nus omnino, non confuſione ſubſtantiæ: ſed vnitate perſonæ.
N am ſicut anima rationalis & caro,vnus eſt homo:ita deus & homo,vnus eſt Chriſtus.
Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcēdit ad inferos,tertia die reſurrexit à mortuis.
A ſcendit ad cælos,ſedet ad dexteram dei patris omnipotentis:inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos.
A d cuius aduentum omnes homines reſurgere habēt cum corporibus ſuis: & reddituri ſunt de factis proprijs rationem.
E t qui bona egerunt,ibunt in vitam æternam: qui vero mala,in ignem æternum.
H æc eſt fides catholica. quā niſi quiſq; fideliter firmiterq; crediderit:ſaluus eſſe non poterit.
G loria patri & filio. S icut erat in pricipio &c.

EXCVDEBAT SIMON COLI-
NÆVS PARISIIS E REGIO-
NE SCHOLARVM DECRE-
TORVM: ANNO A CHRI-
STI IESV NATIVITATE M.
D. XXV. XVII. CAL. FEBR.

Collated & complete
(a small tear & some minute holes
in O_7)
pp. B. Quaritch Ltd,
[illegible]


INRI